gregationibus *de Divinæ Gratiæ auxiliis* tutiſſimam veriſſimamque doctrinam SS. Auguſtini & Thomæ egregie defendit in magno totius orbis Theatro, ita *Patuzzii* memoria annalium honore excipienda eſt [illegible] in furioſiſſimis de *Probabilitate* conce[illegible]ionibus ſaniorem, atque caſtigatiore[illegible] norum doctrinam admirabili perſpicuitate, doctrina, ingenio, atque eruditione ita tutatus eſt, ut ſatis magnifice oſtenderit vetus illud in Ordine Prædicatorum pro recta ethice pugnandi ſtudium, nec ſopiri temporibus, nec extingui unquam poſſe. Quare ſingulari Dei Providentiæ id maxime tribuendum eſt, Concinæ vero non inter poſtremas laudes ponendum, quod in magno nominis, doctrinæque diſcrimine talis tantuſque ſurrexerit apologiſta. Quæ viri celeberrimi in harum epiſtolarum auctorum elogia protulerunt, notiſſima ſunt, nec opus eſſe videtur, ut in iis recitandis ipſe laborem. Multorum laudibus hoc ipſe adjiciam; jam non amplius jure Italiam queri ut antea poſſe, neque tam aperte Galliæ *Paſchalis* Epiſtolas invidere. Habet enim jam, ſiquidem ſanis oculis uti velit, in *Patuzzii* epiſtolis quidquid gratiæ, leporis, elegantiæ, eruditionis in *Paſchali* tantopere demiratur. Hominem habet ſine livoris & doctrinæ ſuſpicione innocui hominis cauſſam agentem, & firmam probatamque doctrinam eximia methodo, atque nervoſa oratione ubique proponentem. Ita laceratum crudeliter Concinæ nomen celeberrimi apologiſtæ hujus clarum cœpit exſurgere, & fugatis nebulis, depulſiſque aliquot nigrioribus maculis vividius quam antea coruſcare. Atqui, quod maximi faciendum eſt, ii, qui captioſis ſcriptionibus decepti a Concinæ caſtris diſceſſerant, veritati luminibus apertis in eadem denuo ſe receperunt, & Concinæ nomen atque doctrinam magno deinceps in pretio habuerunt. Quia vero *Patuzzii* præcipuus ſcopus erat, *Probabiliſmi*, ac *Rigoriſmi Hiſtoriam* tutari, ejuſque integram, atque inconcuſſam monſtrare fidem, hinc in id ingenii omnes nervos ita intendit, ut, plane de Concinæ adverſariis triumphaſſe quivis fateri debeat, qui, ſtudio partium ſepoſito, edita in utramque partem conferre ſcripta voluerit. Hæc ſane una omnium Eruditorum vox fuit, ubi *Eraniſtis* epiſtolæ prodierunt in lucem; quemadmodum etiam indicat epigramma non ignobile, quod per id temporis vulgatum eſt (1). Jeſuitæ autem ſicuti editos a Concina in ſui vindicias libros refellere, & carpere cogitabant quotidie, ita inſignis hujuſce apologiſtæ epiſtolas, in quibus grande robur non poterant non agnoſcere, exiſtimatione dejicere primum pertentarunt; in publicis Gymnaſiis aliiſque locis exclamando eaſdem *ex Diaboli officina* prodiiſſe (2), aliaque blaterando, quæ evidentiſſime demonſtrarent, quam vehemens eſſet eorum dolor, quamque ægre ferrent cunctorum in eas epiſtolas ſuffragia eruditorum. Magiſtratus inde adverſus eaſdem armarunt, ut a ſæculi Principibus favore obtinerent, quod aſſequi ab Eccleſiaſticis judicibus ratione non poterant; curarunt ſcilicet illarum ſuppreſſionem; nec omnimode fruſtra, quamvis per breve admodum temporis ſpatium, atque unica in urbe voti ſint compotes facti (3). Poſtremo ubi ſe his parum proficere cognoverunt, eas quaquaverſum exagitare adniſi ſunt infeliciſſimo eventu. Horum conatuum hiſtoriam alium in locum transferam, ac modo eorum narrationem complectar, quæ iidem homines in *Chriſtianam Theologiam*, tentamine omnium maximo, moliti ſunt pari ſucceſſu.

CA-

(1) *In laudem A. R. P. Pii Vincentii* Patuzzii, *qui defendendam ſuſcipit Hiſtoriam Probabiliſmi*.

Ut Jeſuitarum ſtrenue maledicta retundas,  
Falſaque perſpicue, quæ vomuere, probes;  
Tam bene, *Patuzzi*, tractas, tam fortiter arma,  
Quam bene tractari, ac fortiter arma queunt:  
Scilicet expugnas *Vitalem*, *Gagnaque* Patres,  
Se quoque confoſſum *Ghetius* ipſe dolet.  
Confodis atque alios pugnantes *Concina* contra,  
Hiſtorici faciens ſcripta pugnare magis.  
Sic perhibent clare doctorum corda virorum;  
Nam te pugnantem gloria certa manet.

(2) *Vid Pag. XXX. Præfat. Tomi III.* Epiſtolarum Theologico-moralium *Euſebii* Eraniſtis *Edit. A.* MDCCLIII. (3) *Loco mox cit.*



## CAPUT XXIX.

*P. Ignatius* Vicecomes *Præpoſitus Generalis S. J.* Theologiæ chriſtianæ *damnationem a* Benedicto XIV. *fruſtra pertentat. Vulgantur hac de re nunc primum PP. Societatis & Danielis* Concinæ *ſcriptiones.*

EX jam dictis ſatis apertum atque clarum puto, qua acie mentis, quave diligentia cunctas Concinæ lucubrationes ſpectarent, atque perpenderent PP. Societatis, unde auctori aut peſtem aliquam aut invidiam conflarent. Evulgata *Theologia Chriſtiana* ardentius in id operis incubuere, & ſedula jugique cura eam cœperunt excutere, ſuaſque in eximium Opus animadverſiones evulgare quaquaverſum. Partes has (quod ridiculum plane viſum eſt Theologis hominibus) ſibi ſumſit cum primis P. Franciſcus Antonius *Zacharia*, qui in ſua *Litteraria Hiſtoria*, quam non inepte quidam *Diogenis Canem* appellarunt, nihil omiſit, quo operis dignitati, & auctori detraheret (1). Alii exinde operam eandem navarunt uti dicemus; & hodierna etiam luce, quavis arrepta occaſione, criticen ſuam in eandem exercent. At poſtquam octo hujuſce *Chriſtianæ Theologiæ* volumina edita fuiſſent, eaque magno contemptu, animadverſionibus quidvis aliud quam Theologum ſapientibus, Reipublicæ nuntiaſſet Litterariæ Auctor Hiſtoriæ, IX. tandem volumen a Concina vulgatum eſt. In hoc autem quum demonſtret ipſe P. Franciſcum *Suarez*, celeberrimum S. J. Theologum Exhomologeſim per epiſtolas, ceu probabilem opinionem judicaſſe, mirum dictu quam exarſerint odio, qui *Chriſtianam Theologiam* jam cribrandam ſuſceperant. Aucti hinc eorum conatus & ſtudia. Hoc unum eorum diligentiæ atque criticæ ſeveritatis argumentum fuerit, quod ne typographicis quidem erratis, quæ vitari vix poſſunt, pepercerint, eaque inepte ſane in Operis auctorem tamquam graviſſima capita delictorum conjecerint. Ex tot inde curis, tantoque examine collectam levitatum, & mendaciorum farraginem, poſt inauguratum totius Societatis Præſidem P. Ignatium *Vicecomitem* (quod quidem contigit die 4. Julii Anno MDCCLI.) Generali Societatis Congregationi obtulere, unde Conſcripti Patres, quid e re Societatis foret, decernerent. Hi magno perpenſo volumine, atque non tam hujus, quam fautorum & procerum ratione habita, dignum ſtudiis ſuis, dignum initio novi Præſulis Magiſtratus facinus judicaverunt, totum negotium ad *Benedictum XIV.* ſapientiſſimum Pontificem deferre, cunctaſque adhibere artes, queis *Chriſtianæ Theologiæ*, qua grave vulnus Societatis ſcriptoribus jactabatur inflictum, optatiſſimam proſcriptionem aſſequerentur; atque ita uno ictu Concinæ nomen doctrinamque crudeliter, invidiaque ſumma proſternerent. Tam grande ergo volumen, in quo ultra peccata CCC. ſibi collegiſſe videbantur, miratus Præſul Societatis, auditiſque fervidiſſimis Conſcriptorum Patrum votis, ac precibus, poſt varias multaſque, ut in gravis rei negotio opus erat, habitas ſeſſiones, ſtipatus ſociis ſuis, quos *Adſiſtentes* vocant, ad majorem Societatis oſtendendam Pontifici majeſtatem atque potentiam, oblato totius Societatis Nomine ſupplici libello, in ingens diſcrimen *Chriſtianam Theologiam*, ejuſque Auctorem Concinam magno apparatu, artificioque vocavit. In hoc autem libello poſtulabat a Pontifice Præſul Societatis, ut Theologos legeret, qui multiplices Concinæ aberrationes, atque peccata ab ſe animadverſa cum *Chriſtiana Theologia* conferrent, atque inſpicerent num proſcribenda foret, quemadmodum ardentiſſime tota Societas flagitabat. Pontifex, ſpiſſo inſpecto volumine, *rem difficilem*, inquit, *poſtulaſtis*; exactam nimirum tantarum rerum collationem. Suadere propterea eos cœpit, hortarique conſultius eſſe: ingens illud cenſurarum volumen *Theologiæ Chriſtianæ* tomis opponere, ac typis vulgare: quod ſi feciſſent, ſe poſtea utrique parti ſilentium indicturum. At Præſul Societatis, qui majora petebat, veritus, ne ſi hoc perageretur, ingenti periculo ac damno paterent ſuorum artes atque mendacia, reſtitit Pontifici omnino, eumque ab hac cogitatione atque conſilio avocare conatus eſt. Pontifex ergo conſilium ſui auribus minime pronis exceptum videns, (quod jam procul dubio ſuſpicatus fuerat) ut celeberrimæ Societatis votis aliqua ex parte ſatisfa-

ceret,

(1) *Tom. II.* Hiſtor. Litter. *pag. 49. & ſeq, tum in aliis ejuſd. Hiſt. Tomis. P.* Zachariam *caſtigavit primo P.* Patuzzius *cum in epiſt. ad Amicum.* §. CXV. *& ſeq. tum in aliis epiſtol.* Theologico-moralibus; *atque præcipue in* Obſervationibus Litterariis *adverſ. eand. Hiſt. ut ſuo loco dicemus.*

ceret, tres delegit Theologos; ſcilicet P. Thomam *Sergium* ex piis Operariis, P. *Mancinum* Ordinis Minimorum, & P. *Vezzoſium* Aretinum Cl. Reg., hominem doctum, atque hac noſtra ætate opinione purpurei galeri notiſſimum. His ergo, Præſule ſupremo Societatis, atque ex *Adſiſtentibus* uno ad ſe vocatis, præcepit Pontifex, ut illius adverſus Concinam ab iiſdem conſarcinati voluminis, magni momenti rerum tantum ratione habita, breviarium conficerent. Tunc ad hoc muneris obeundum Præſul Societatis hoſce Theologos exorare viſus eſt. Verum iſti Jeſuitas ad implenda vota Pontificis aptiores ſibi videri reſponderunt; tum quod ipſi, cribratis jam diligentiſſime *Theologiæ Chriſtianæ* Tomis, omnium eſſent apprime conſcii rerum, quæ dignæ caſtigatione viderentur; tum quod cauſſam acturi ſuam in id diligentius ac profundius incubuiſſent. Placuit Præſidi Societatis allata ab hiſce Theologis excuſatio, quam fortaſſe non ſubeundus labor, ſed aſtutia pepererat. Delegit ipſe proinde P. Carolum *Nocetum*, e ſuo Cœtu non obſcuri nominis poetam. Hic magno labore, admirabili calliditate, & fervore ſummo, primum libellum ſupplicem contraxit, illiuſque epitomen confecit. Hanc demum libelli ſupplicis ad inſtar Pontifici obtulit Menſe Sextili ſupremus Præſul, denuo renovatis expoſitiſque totius Familiæ ſuæ votis, aliarumque etiam gentium humillime ſupplicantium precibus; conſuevere enim, cum de rebus eſt actum ſibi maxime congruis, & proficuis, Virorum nobilium implorare fidem, horumque vota RR. PP. exhibere, ut ex Hiſtoria *de Divinæ Gratiæ Auxiliis* manifeſtum eſt. Nos ne horum PP. in Concinam querelarum, queſtuumque momenta ac pondus aut diſſimulare, aut aſpernari videamur, heic totum eorundem ſupplicem libellum, ex autographo diligentiſſime exſcriptum, vulgamus (1), hortamurque PP. Socie-

## LIBELLUS
### PP. S. J. adverſus Danielem Concinam.

(1) *Sette ſono le ragioni, per cui i PP. della Compagnia domandano la proibizione della Morale del P.* Concina.

*La prima ſi è l'attribuirſi a' PP. della Compagnia, cioè agli Scrittori di eſſa, opinioni oltre modo laſſe, tutto che da loro non inſegnate, ſiccome conſta da' luoghi citati dal* P. Concina *medeſimo, che ne ſtorpia, ed altera il ſenſo.*

*La ſeconda ſi riduce alle cenſure, di che, prevenendo il giudizio della S. Sede, accagiona non poche ſentenze de' PP. Geſuiti.*

*La terza conſiſte nell' artifizio uſato dal* P. Concina *negl' indici, facendo ivi comparire gli Autori Geſuiti difenſori di moſtruoſe opinioni.*

*La quarta ſi è, che il* P. Concina *premette ad ogni Diſſertazione un elenco di propoſizioni condannabili con poco riguardo al Giudizio eziandio della Chieſa.*

*La quinta ſi riduce ad una perpetua induſtria di far comparire i Geſuiti come Autori della Morale corrotta.*

*La ſeſta di non riſparmiare neppure le regole di S.* Ignazio, *i Pontefici medeſimi, e le Sagre Congregazioni di Roma.*

*La ſettima in aver pigliato da' libri contro a' Geſuiti tutto ciò, che in eſſi contienſi in diſcredito della loro Morale.*

Momenta iſthæc, non levis ſane ponderis, ſi vera fuiſſent, Libellus ſupplex conſequebatur in hæc verba.

### BEATISSIME PATER.

*Cum P.* Concina *Theologiam quandam Moralem, in plures Tomos diſtributam, typis ediderit, quæ Societatis Jeſu, ejuſque Scriptorum famam graviter lædit, Præpoſitus Generalis ejuſdem Societatis, ad Sanctitatis Veſtræ pedes humiliter provolutus, pro juſta aliqua hujus damni reparatione demiſſiſſime ſupplicat, & rationes, ob quas hujus Operis curſus inhibendus eſſe videtur, quam breviſſime poterit, hic ſubnectit.*

*Prima ratio ſunt calumniæ, & impoſturæ, quarum ecce hic breve ſpecimen.*

P. Concina *tom.* 1. *pag.* 65. *in Elencho propoſitionum, quas recenſet, ut damnabiles:*

Et quidem in praxi exiſtimo, nunquam, aut rariſſime denegandam abſolutionem ob doctrinæ Chriſtianæ ignorantiam: quia ruſtici ignorantes non habent commode Doctorem,



Societatis, ut noſtrum hocce antigraphon cum eo comparent, quod Pontifici oblatum fuit. Ut vero Pontifex unico veluti intuitu, cauſſæ meritum, juſtaſque poſtulantium vo-

rem, nec Confeſſor poteſt illos inſtruere, nec iſti majorem addiſcendi capacitatem habent. Thomas *Sanchez* lib. II. Summæ cap. 3. n. 21.

*Thomas* Sanchez *loco citato.*

Et quidem in praxi exiſtimo, nunquam, aut rariſſime denegandam abſolutionem ob doctrinæ Chriſtianæ ignorantiam: quia ruſtici ignorantes non habent commode doctorem, & Confeſſor poteſt illos inſtruere, nec ipſi majorem addiſcendi capacitatem habent.

*Et illum numerum* 21. Sanchez *ſic orditur.*

Ex his deducitur, teneri Confeſſarios interrogare Pœnitentes doctrinam Chriſtianam, quoties probabiliter judicari poteſt, fore ut illam ignorent.

*Quamobrem ſenſus* Sanchez *eſt, rariſſime denegandam eſſe abſolutionem ruſticis ignorantibus Doctrinam Chriſtianam, quia Confeſſor poteſt, & tenetur illos inſtruere. Et* Concina *affingit, quod dicat, rariſſime denegandam iſtis eſſe abſolutionem, nec Confeſſarios poſſe illos inſtruere.*

Concina *tom.* 2. *p.* 4. *in Elencho propoſitionum, quas recenſet ut damnabiles.*

Nemo ex neceſſariis ad ſuum ſtatum conſervandum tenetur eleemoſynam pauperibus elargiri, niſi extrema neceſſitate laborent. P. Matthæus *Moya* tom. 1. tract. 6. diſp. 6. quæſt. 4. §. 3. n. 21.

Moya *tom. tract. diſp. & quæſt. citatis, ſed* §. 5. n. 23.

Præceptum eleemoſynæ obligare in extrema neceſſitate ad ſubveniendum proximo ex neceſſariis ad ſtatum, etiamſi ex eo patiaris grave damnum in dignitate, & faſtu externo, eſt communis Doctorum ſententia, & veriſſima.

Concina *tom.* 1. *pag.* 165.

Licitum ne duellum eſt ad evitandum periculum vitæ, honoris, aut fortunarum? Reſpondeo, non modo acceptare licite duellum ad ejuſmodi declinanda mala, verum indicere etiam te illud poſſe, docent ... *Sanchez* lib. 2. in Decalogum c. 9. 39. n. 8.

*Ac pag.* 166. *ſic repetit.*

Excuſandi tamen ſunt perdocti Salmanticenſes, de re Theologica optime meriti, mihique variis titulis magnopere colendi, quod ante damnatam propoſitionem ſcripſerint, & quod a *Sanchez* prius traditam doctrinam acceperint.

Sanchez loco citato.

Tertia cauſa eſt defenſio vitæ propriæ, & ob hanc cauſam non licet ſponte duellum acceptare, quia, etſi liceat vim vi repellere, ſe ab invaſore defendendo, etiam eum necando, quando aliter vita defendi nequit; at hoc non eſt duellum, ſed quando ex condicto ſponte inducitur, aut acceptatur certamen; quod non eſt vitam defendere, ſed eam periculo exponere.

*& n. 9. ſic pergit* Sanchez.

Quarta cauſſa eſt defenſio proprii honoris ... at dicendum eſt, hanc non eſſe juſtam acceptandi duelli cauſſam, ſed eſſe culpam mortalem acceptare.

*De periculo fortunarum ne verbum quidem apud* Sanchez, *qui eam quæſtionem non attingit. Si* Concina *noluit defendere Jeſuitam* Sanchez, *ut defendit Salmanticenſes, ſaltem eſſet, ſcribendo contradictoria, turpiſſime calumniatus.*

Concina *tom.* 2. *pag.* 417.

Beneficiarius omittens officium Divinum uno, aut altero die, vel per octo, aut decem dies, tenetur ne reſtituere fructus correſpondentes tali tempori? Negant plures recentiores Probabiliſtæ. Paulus *Layman* tract. 7. c. 5. n. 1.

*Paulus* Layman, *non loco perperam citato a* Concina, *ſed lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 5.

Beneficiatus, poſt primum ſemeſtre canonicas horas dicere omittens, ante judicis ſententiam reſtituere tenetur fructus, tempori negligentiæ correſpondentes, eo pacto, ut ſi *v. g.* 360. annuos aureos ex beneficio uno, vel pluribus percipiat, unum aureum in uſum pium erogare cogatur ob integrum unius die intermiſſum officium; dimidium aurei vero ob intermiſſum officium matutinum cum laudibus. Ita habetur in dicti

voces agnoſceret, in Libelli fronte ſeptem fex acceptum, adſtante Præſide Societatis, locaverant rationes italice exaratas. Ponti- atque ex Adſiſtentibus uno, libellum treis illis,

Conſtitutionibus Concilii Lateranenſis, & Pii V. & conſentiunt Doctores communiter contra Sylveſtrum (*Dominicanum*) verbo *Clericus* 4. q. 23.

Etſi vero Sotus (*Dominicanus*) lib. 10. quæſt. 5. a. 6. 3. Reſol. c. 13. n. 10. in fine, quibus favet Bartholomæus *Medina* (*Dominicanus*) cit. §. 11. *Lopez* (*Dominicanus*) part. 2. Inſtruct. c. 95. in ea opinione fuerint, quod Beneficiatus, uno, aut altero anni die officium Canonicum prætermittens, ad nullam fructuum reſtitutionem obligetur, quia neque pius, & clemens Dominus de ſalario famuli detulit ob unius, vel alterius diei neglectum ſervitium, ſi reliquorum, ſicuti oportebat, præſtitum fuit; reliqui tamen Doctores fere communiter repugnant, quia in Conſtitutione Pii V. clare exprimitur, non tantum ob unius diei; ſed etiam unicæ horæ culpabilem officii omiſſionem reſtituendi obligationem pro rata incumbere.

Concina *tom.* 2. *pag.* 426.

Nec minorem laxitatem prodit, quod ſubdit *Leander* ex *Bonacina*, *Laymano*, & aliis, poſſe nempe extendere hanc fructuum applicationem ad ſorores, fratres, & matrem, non ſolum ſi ſint mendici, ſed etiam ſi neceſſariis ad decentiam perſonæ, & ſtatus careant.

Layman *citatus ſuperius lib. IV. tract.* 2. *cap.* 5.

Illud recte admonet *Navarrus* c. 7. de Oratione n. 34. quem reliqui ſequuntur, ſi ipſemet Beneficiatus pauper ſit, tunc fructus reſtituendos eidem per modum eleemoſynæ applicari poſſe. Tametſi conſultum erit hoc caſu, ſi Confeſſarius aliam ſimilem ſatisfactionem imperat. *V. G.* ut oret, vel ſacrificet pro defuncto Fundatore, ſicuti monet *Suarez* citat. cap. 30. n. 19.

*Et ne verbum quidem habet de ſororibus, fratribus, matre, & multo minus de defectu neceſſariorum ad decentiam ſtatus, & perſonæ.*

Concina *tom.* 2. *pag.* 493.

Qui ſolus nequit, cum ſocio vero poteſt, officium perſolvere, tenetur ne ſocium adhibere, ſi commode eo uti poteſt? ... *Filliucius* .... *Laymanus* ... diſtinctione utuntur. Si oculis caligans, vel cæcus effectus ſolitus erat ſocium adhibere in recitandis horis, antequam impedimentum contraheret, tenetur ſocium adhibere, ut penſum ſolvat; ſecus vero qui talem non habebat conſuetudinem. Hæc diſtinctio inanis eſt, & rationis vacua. Conſuetudo enim adhibendi ſocium, nullum novum inducit jus, vel obligationem.

Filliucius *tract.* 23. *cap.* 9. *n.* 29.

Qui non poteſt dicere ſolus, ſi poſſit cum ſocio, & illum habeat ad manum ſine magno incommodo, tenetur horas recitare, quia hoc ipſo, quod facile poteſt cum ſocio, non poteſt dici impotens. Idem dicendum de cæco, ſi memoriter ſciat horas, vel cum ſocio poſſit alternos verſus Pſalmorum dicere.

*Ubi ne verbum quidem de illa diſtinctione, vel conſuetudine, ſi ſolitus erat ſocium adhibere.*

Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6.

Si aliquis, qui cum ſocio recitare ſolitus ante non fuit, ob incidentem morbum *V. G.* oculorum, ſolus recitare non poteſt, non eſt obligatus (*notetur, Beatiſſime Pater, ad quid*) ut ſocium, ſive famulum ſtipendio conducat, niſi facile id fieri queat.

*Ubi, ut eſt evidens, non liberat ab obligatione recitandi ob illam conſuetudinem, ſed ob ſtipendium ſolvendum.*

Concina *tom.* 3. *pag.* 117. *in Elencho propoſitionum, quas proponit ut damnandas.*

Si voviſti redimere jacturam temporis, comprehendiſti ludum etiam moderatum, itemque ludum pro alio, quia vere luderes cum jactura temporis. Poteris tamen per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus. *La-Croix* lib. 3. part. 1. num. 454.

La-Croix *loco citato.*

Si voluiſti (vovendo abſtinentiam a ludo) redimere jacturam temporis, comprehendiſti lu-



illis, quos nominavimus, Theologis tradi- cumque *Theologia Chriſtiana* conferrent, dit, unde etiam atque etiam conſiderarent, ac ſibi demum, ita ut e fide cenſerent ſua,

ſti ludum etiam moderatum, itemque luſum pro alio, quia vere luderes cum jactura temporis. Poteris tamen per alium ludere, licet aſpiciendo perdas tempus.

*Accuſatio.*

*Calumnia ſtat in permutatione illius verbi* voluiſti *in* voviſti. *Nam ſi quis vovit non perdere tempus; non perdere tempus eſt materia voti, & violat votum, qui in quacunque re E. G. in aſpiciendo ludum alienum, perdit tempus. At ſi quis vovendo abſtinentiam a ludo ſuo perſonali, voluit non perdere tempus, ut dicit:* La-Croix; *non perdere tempus eſt cauſa finalis voti; & materia voti eſt abſtinentia a ludo perſonali. Porro, licet adſint in aliqua circumſtantia ratio, ſeu finis voti; ſi tamen non adſit materia promiſſa, votum non obligat in conſcientia, ut ſolide oſtendit* Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de voto cap.* 3. *n.* 9. *Aliter in caſu noſtro, qui voviſſet abſtinere a ludo ſuo perſonali ex hoc fine, ne perdat tempus, violaret votum confabulando cum amicis, ruſticando, & aliis ſimilibus incumbendo, in quibus perditur tempus.*

Concina *tom.* 3. *pag.* 390.

Duo hic docet *Tamburinus*, quorum unum certiſſime falſum eſt, nempe quod jurans ſine animo jurandi non juret; quæ propoſitio ab Eccleſia damnata eſt, ut infra videbimus.

*Et in Indice ſic ponit.*

*Tamburinus* laxas docet propoſitiones de juramento ... & aliam damnatam ſine animo jurandi.

*Propoſitio* 25. *damnata* ab Inn. XI. *eſt hæc:*

*Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.*

*Hæc autem propoſitio:* Jurans ſine animo jurandi, non jurat: *numquam eſt inter damnatas. Et defenditur cum plurimis a* Suarez lib. 1. de juramento *cap.* 1. *n.* 8. *his verbis:* Nihilominus dicendum eſt, intentionem jurandi eſſe omnino neceſſariam ad conſtitutionem, ut ſic dicam, juramenti, & ad veritatem ejus in eſſendo: ſine intentione jurandi fictum juramentum eſt, non re verum, etiam ſi aſſertio, in quam cadit, revera ſit. Ita ſentiunt Doctores omnes, quos infra referam.

*Accuſatio.*

*Ergo inique Concina calumniatus eſt, tum in Libro, tum in Indice* Tamburinum, *tanquam docentem propoſitionem damnatam.*

Concina *tom.* 4. *pag.* 408.

Culpa ne gravis eſt aſpectus membrorum turpium ſive mulieris, ſive viri? Reſpondeo... *Sanchez* lib. 9. de Matrim. diſp. 46. *n.* 21. *Navarrus*, & alii negant.

Sanchez *libro, & diſput. citatis, n.* 22.

Abſque urgenti neceſſitate virum conſpicere verenda fœminæ, aut e contra, mortale eſt, quamvis non ex libidine fiat, ſed ex indiſcreta mortificatione aut curioſitate, quia valde honeſtati naturali adverſatur... Deinde quia aſpectus talis eſt urgentiſſimus luxuriæ ſtimulus, & graviſſimo illius periculo expoſitus. Atque idem credo de partibus valde vicinis membris pudendis ob eaſdem rationes.

*Cap. vero* 21. *citato a* Concina *nihil habet de aſpectu membrorum turpium.*

Concina *tom.* 4. *pag.* 444.

Datur ne materiæ parvitas in genere luxuriæ? ℞. Adfirmant *Eſcobar* Theol. Moral. tract. 1. exam. 8. cap. 3. Leſſ. lib. 4. de jure ca. 3. dub. 8. *n.* 49.

Eſcobar *loco citato.*

Datur ne in rebus venereis parvitas materiæ? Minime. Cum enim nulla ſit tam exigua fornicatio, quin ſit peccatum mortale, & delectatio moroſa in hac materia erit peccatum mortale.

Leſſius *libro, capite, & dubio citatis, ſed n.* 59. *non* 49., *ut perperam* Concina, *poſt allata argumenta pro ſententia admittente talem parvitatem, ſic ſubdit:* Hæc ſententia videri poteſt alicui probabilis, & ſpeculative vera. Unde in eam valde inclinat *Navarrus*, eamque tenet Martinus *de Magiſtris*, & aliqui Recentiores. Verum commu-

ſua, renuntiarent. Litteris mandatum eſt, prudentiſſimum Pontificem, quo rem ſe-

rius incorruptiuſque perageret, cenſores iſtos jurejurando obſtrinxiſſe, ne cum quoquam

hoc

nior ſententia eſt, in iſtis eſſe peccatum mortiferum, quæ & mihi probatur, tum quia communior, tum quia tutius eſt, ut omnia iſta quammaxime vitentur.

Concina *tom.* 5. *pag.* 214.

*Poſtquam retulit, & pluribus ſarcaſmis irriſit opinionem* P. Vivæ *de potu chocolatis ita ſubdit:*

Interim hæc opinio, quam P. Viva pia intentione reputavit probabilem, mihi non modo falſa eſt, ſed ſcandali plena.

*Et in Indice hæc ſcribit:* Viva P. Dominicus laxa docet de potu chocolatæ.

Viva in Trutina *ad propoſitionem* 29. Alexand. VII. *n.* 20. *ad quem locum ſe remittit in ſua Theologia Morali, poſt verba excogitata a* Concina, *ſic habet:*

Communior tamen ſententia in praxi tenenda eſt, quod ſcilicet jejunium violet. Verum qui cum laudatis Doctoribus vellet, eſſe potum uſualem, atque adeo non frangere jejunium, advertat oportet, quod apte notat inter alios idem *Brancatius* in ſuo eruditiſſimo opuſculo de potu chocolatis, tunc illum habere rationem potus uſualis, quando ſumitur in ea quantite, qua Indi eam ſumere ſolent ad ſedandam ſitim.

*Utrum* Viva *doceat laxa, & ſcandali plena de potu chocolatis, an vero* Concina *cenſuræ ſuperaddat impoſturam, penes Sanctitatem veſtram judicium eſt.*

*Plurimæ aliæ impoſturæ prætermittuntur, ne Sanctitati veſtræ tædium creetur. Pluſquam centum Theologis deſignatis ſunt exhibitæ, qui de illis teſtari poſſunt.*

*Secunda ratio inhibendi curſum hujus Theologiæ ſunt convicia, notæ, cenſuræ, a Decreto* Innocentii XI. *graviter prohibita. Omnes Tomi hujuſmodi rebus pleniſſimi ſunt. Breviſſimum tantum ſpecimen hic ſubjicietur.*

*Tom.* 1. *pag.* 289. Quis unquam hiſcere auſus fuerit, ſi dixerimus Caſuiſtarum plures futiliſſimis diſtinctiunculis frequenter elevare ſacrarum legum auctoritatem? Si diximus, tantum apud ipſos valere quaſdam blictricas diſtinctiones?

*Tom.* 2. *pag.* 53. Divitum ergo Confeſſarii Chriſti Evangelium, Patrum doctrinam, non *Dianæ*, non *Tamburini*, non *La-Croix* opiniunculas præ oculis habeant: *Pag.* 167. Non minus falſa, & erronea eſt ſequens propoſitio, quam docet P. Paulus *Layman*: *Pag.* 196. Sententia *Palai*, & *Mendozæ*, ſed & erronea quoque eſt: *Pag.* 291. Hæc opinio eſt pluſquam falſa, & ſcandali plena.

*Tom.* 3. *pag.* 4. Hæc opinio ex ſe ſuam prodit laxitatem, ne dicam horrorem: *Pag.* 30. Horrent hæc piæ aures, & magis deteſtatione, quam impugnatione rejici illa debent: *Pag.* 52. Hæc mihi monſtruoſa videntur paradoxa.... vel erronea commenta: *Pag.* 103. Audi *Leandrum*, ſumma, & horrenda laxitate Probabilizantem: *Pag.* 171. Et tamen La-croix hujuſmodi monſtra, ut certas morum regulas, obtrudit. *Pag.* 339. Quæ propoſitio falſa omnino mihi eſt, & ſcandali plena.

*Tom.* 4. *pag.* 141. *Loquens de quadam doctrina P. Suarez:* Hoc non modo Evangelicæ, ſed ethnicæ quoque Philoſophiæ repugnat: *Pag.* 148. Hæc concluſio laxa, & falſa eſt, Scripturarum, & Patrum doctrinæ adverſa, & horrorem incutit: *Pag.* 152. Sitne hæc doctrina antievangelica, alii judicent.

*Sed notatu digniſſimum eſt, Beatiſſime Pater, quod habet eodem tom.* 4. *pag.* 206. *ubi ſic.*

Hæc ſunt monſtra, & portenta omnium horrendiſſima, quorum in univerſa Ethnicorum Morali Philoſophia nec leve veſtigium occurrit. En Probabiliſmi abortivos fœtus, & inaudita laxitatis commenta... Deteſtabilior inſuper eſt *Leandri*, aliorumque doctrina.... Quod quam ſit ſceleſtum, quam inhumanum, quam monſtruoſum, nemo rationis compos non videt. Quorſum, inquies, tum acris declamatio? Ut hinc colligas, quanta ſit his, & ſimilibus Theologis fides adhibenda. Qui enim præfatas opiniones in publicum obtrudere audent, qui eaſdem pœnitentibus conſulendas adfirmant, digni ne ſunt, ut Magiſtrorum loco in animarum regimine habeantur? (*Noſcit Sanctitas Veſtra quos deſignet*). Si enim vel ipſa prima naturæ principia evellere, ſi vel inſita naturæ lumina tanta tenebrarum caligine obducere pertentarunt; inferas velim, quæ in obſcurioribus controverſiis dicturi ſint.... Eo pertinent verba hæc

mea,



hoc de negotio communicarent. Sed hi ſummi Sacerdotis ſacramenti, quod abſcondere

bonum erat, quamcitiſſime immemores, ſæpe ad Cœnobium, in quo P. *Mancinus* mo-

raba-

mea, (*animadvertat quæſo Sanctitas Veſtra, quomodo diſertis verbis præſeferat in hac ſua Theologia, nempe amandare in malam crucem Caſuiſtas, præſertim Jeſuitas, omnem ipſis fidem adimere, nec ſuſpectos ſolum, ſed abominabiles reddere*) ut te admoneam, ne in rebus dubiis nullam his Auctoribus fidem adhibeas, nec quidquam eorumdem auctoritati tribuas. Si enim in tanto naturæ lumine cæcutiunt, & paradoxa adeo immania cudere non erubeſcunt, numquid in difficillimis quæſtionibus veritatem tibi pandent? .... Hæc illis duntaxat diſplicebunt, qui partium ſtudio præoccupati non tam communi profectui, quam vanæ exiſtimationi ſtudent. Cæterum arridebunt omnibus æquis rerum arbitris, qui æternam animarum ſalutem privatorum hominum quorumdam judicio, & famæ præferendam ſciunt.

*Beatiſſime* Pater, *hæc pauca ex aliquibus tomis decerpſiſſe ſufficiat; cæterum pro certo habeat Sanctitas Veſtra, quemadmodum deſignati Theologi teſtari poſſunt, nullum eſſe tomum, nullam diſſertationem, nullum caput, immo ferme nullam paginam, quæ hujuſmodi vel notis, vel conviciis, vel cenſuris, vel injurioſis debacchationibus non ſit referta.*

*Tertia ratio eſt malitioſum artificium texendi Indices. Pauciſſima hic exempla ſubnectuntur, ne patientia Sanctitatis veſtræ, & clementia abutamur.*

*Verbo* Sanchez *tom.* 1.: Sanchez (P. Thomæ) de infidelibus doctrina, Pyrrhoniſmum invehens in religionis negotio. Ejuſdem laxa doctrina. Alia ejuſdem in damnatis propoſitionibus contenta doctrina.

*Tom.* 2.: docet propoſitionem 51. damnatam ab *Inn. XI.* Item laxam de cooperatione ad peccatum .... Item laxam de recitatione officii.

*Tom.* 3.: Laxe, & monſtroſe docet, pro divinatione acceptum, non eſſe reſtituendum, modo Divinans ſit uſus arte Diaboli ... Laxe docet, jurare poſſe ut vera, quæ cognoſcimus tantum conjectura probabili .... Docet multas propoſitiones laxas, & nonnullas damnatas de æquivocationibus, & reſtrictionibus mentalibus. Juſta de cauſſa Auctor eſſe probatur propoſitionum 27. & 28. damnatarum ab *Inn. XI.*

*Tom.* 4.: Laxam de luxuria ſententiam docet, & aliam de eadem pariter laxam .... Alias laxas propoſitiones docet de mendacio.

*Tom.* 5.: Laxam propoſitionem docet de præcepto audiendi Miſſam, & aliam laxam de jejunio. Laxe eximit a jejunio &c.

*Verbo* Tamburinus (P. Thomas) laxam opinionem docet de ſepultura, decedentibus in loco duelli concedenda .... Aliæ ejuſdem laxæ de ſcandalo propoſitiones .... Ejuſdem damnata ab *Innoc. XI.* propoſitio 51. de cooperatione ad peccatum .... Alia ejuſdem laxa propoſitio in materia Religionis. Aliæ ejuſdem laxæ ſententiæ .... Alia laxa de Miſſa, & horis canonicis .... Alia laxa de eiſdem horis canonicis in choro recitandis .... Alia laxa de eiſdem ob dubium tenuitatis Beneficii.

*Et quolibet alio Tomo, Beatiſſime Pater, Verbo* Tamburinus *leguntur ſimiles Indices, & aliquando atrociores.*

Verbo Viva. Tom. 3. *Viva* (P. Dominicus) Laxas docet propoſitiones de juramento... Male abjudicat Tamburino propoſitionem damnatam de jurante ſine animo jurandi .... Caute legendus eſt in expoſitione damnatarum propoſitionum .... Non recedit a ſenſu propoſitionis 25. damnatæ ab *Inn. XI.* .... Reſtrictionem non pure mentalem defendit uſu duplicis ſcientiæ, communicabilis, & incommunicabilis .... Extenditque ad omnes homines, gravi cauſa urgente .... Et ad ruſticos, quando commoda non occurrit reſtrictio externa. Doctrina ejuſmodi recidit in ipſam propoſitionem proſcriptam .... Male contendit, propoſitiones damnatas de reſtrictionibus mentalibus damnatas eſſe ſolum in earum obvio ſenſu, non vero, ut ſunt in eorum Auctoribus .... (*obiter notetur*, Innoc. XI. *aperte profiteri, ſe illas propoſitiones damnare, ſicut jacent*) .... Hæc doctrina favet Janſeniſmo, & falſa eſſe oſtenditur... Ejus commentaria in propoſitiones damnatas caute ſunt legenda.

*Tom.* 4. Damnatam propoſitionem de homicidio ob defenſionem honoris & famæ ma-

le

rabatur, quodque *Trinitas Montium* dicitur, ventitabant, ibique cum PP. Societatis de modo, quo res componi ad eorum ſententiam poſſet, confidentia ſumma lo-

que-

le abjudicat *P. Amico* .... Pejorem ea, aut ſaltem æque noxiam propoſitionem docet .... Et aliam laxam .... Et alias pariter laxas .... Et aliam laxam, enervantem propoſitionem 31. damnatam ab *Innoc. XI.* & aliam pariter laxam .... Et aliam laxam de occaſione proxima .... Laxam docet ſententiam adverſus ſinceritatem Confeſſionis .... Aliæ ejuſdem laxæ propoſitiones de furto. Laxam de occulta compenſatione ſententiam docet. Laxam docet ſententiam de mendacio .... Improbatur, ut ſcandaloſa, ejus doctrina, qua ait, non peccare contra juſtitiam eum, qui imponit alicui falſa crimina ad tuendam propriam famam.

*Scandaloſa hæc doctrina, Sanctiſſime Pater, nuſquam reperitur in P.* Viva, *qui in expoſitione propoſitionis* 43. & 44. Innoc. XI. *n.* 11. *apertiſſime docet contradictorium his verbis:* Si advertatur ad ea, quæ diximus, in aperto erit .... eſſe illicitum, tum contra veracitatem, tum contra juſtitiam imponere alteri falſum crimen, etiamſi dicatur, id fieri ad defenſionem.

*Sed ut revertamur ad Indices, & ne infiniti ſimus; ſimiles prædictis ſunt omnes prorſus Indices, quos in quolibet ferme Tomo* Concina *attexit Verbo* Tamburinus. *Verbo* Viva. *Verbo* La-Croix. *Verbo* Layman. *Verbo* Gobat, *& reliquis Jeſuitis, ut intuitu oculi legenti patebit.*

*In quo quidem malitioſo artificio plurima ponderanda ſunt.*

*Primum. Conglobatio illa non interrupta laxitatum, ſub unico aſpectu propoſita, multo majorem abominationem conciliat Auctoribus, quam ſi ſparſim in opere legerentur, vel ſaltem cum tot aliis eorum rectis ſententiis intermiſcerentur.*

*Secundum. Ipſe* Concina *millies citat in decurſu operis eoſdem Jeſuitas pro confirmandis opinionibus, quas & ipſe approbat; & tamen in Indicibus nuſquam meminit earum opinionum, quas, ipſo duce, recte docuerunt, ſed de induſtria coacervavit id ſolum, quod eorum famæ nocere poteſt.*

*Tertium. Multas ejuſmodi ſententias docuerunt Dominicani. Aliquos ingenue citat in corpore Librorum ipſe* Concina. *Multo plures Theologis, a Sanctitate Veſtra deſignatis, ſunt exhibiti; & tamen in Indicibus in ſolos Jeſuitas exoneratur invidia.*

*Quartum. Plures ſententiæ, quas in Indice appellat laxas, aut laxæ non ſunt, vel a* Concina *multum deformatæ, atque adulteratæ, ut prædicti Theologi luculentiſſimi teſtes eſſe poſſunt.*

*Quarta ratio eſt. Quia initio ferme omnium Diſſertationum texit elenchum propoſitionum, quas affert ut damnandas. Qua in re privatus homo erigit tribunal; antevertit judicium Sanctæ Sedis, & quantum eſt in ſe, palam, & apud omnes vulgato typis opere propoſitiones prædamnat.*

*Quinta ratio eſt. Quia in tota hac Theologia ſummo ſtudio conatur perſuadere, Jeſuitas fuiſſe Auctores propoſitionum damnatarum, quod unice ad deſiderium dehonorandi Auctores Jeſuitas, non ad zelum animarum referendum eſſe videtur. Quicumque enim Auctores fuerint earum propoſitionum, ſatis conſultum eſt laxitati doctrinæ moralis per illarum damnationem. Hujus ſtudii, & ſollicitudinis Concinianæ exemplum proferam.*

*Tom. 9. a pag. 586. ad 609. omnem movet lapidem, ut perſuadeat, P.* Suarez *docuiſſe ſententiam de Confeſſione inter abſentes, damnatam a* Clemente VIII. *Cum vero ex verbis* Suarezii *id oſtendere nunquam potuerit, confugit ad externa argumenta. Angelicam Bibliothecam excuſſit, & neſcio quod monumentum chartaceum, ad rem ſuam faciens, extraxit, & typis vulgavit, qui tamen codex chartaceus, cujus ſit Auctoris, & cujus auctoritatis, ignoratur.*

*Ut vero facilius hæc omnia omnes reſcirent, ita ſcribit in Indice Verbo* Suarez: Suarez (*F. Franciſcus*) .... Quomodo Decretum *Clementis VIII.*, eam opinionem damnantis, ſit interpretatus. Decreta, quæ circa hanc interpretationem a *Paulo V.* emanaverunt. Ante Decretum *Clementis VIII.* opinionem de Confeſſione epiſtolari, ut probabilem propugnaverat *Suarez*. Evincitur teſtimoniis Theologorum .... Ineluctabili producto Documento demonſtratur.

*Ubi*



quebantur. P. *Mancinus*, homo Calaber, Minimus, Probabiliſta, *Molinæ* ſectator, atque Jeſuitarum ad inſaniam uſque ſtudioſus *Theologiam Chriſtianam* dignam proſcri-

ptio-

*Ubi præter ſuperadictum ſtudium appingendi Jeſuitis per fas, & nefas propoſitiones damnatas, duo notanda ſunt.*

*Primum. Sæpiſſime citat cum laude P.* Suarez *in hac Theologia tota; & tamen in Indicibus nihil eſt, quod ad laudem* Suarii *pertineat, ſed ſolum quod putavit pertinere ad vituperationem.*

*Secundum. In hoc tomo 9. pag. 614. ſincere fatetur, quatuor Dominicanos, Petrum de* Tarantaſia, Paludanum, S. Antoninum, *Petrum* Soto, *alioſque defendiſſe ſententiam damnatam:* Hos ego igitur (*Concina*) aliquid humani paſſos eſſe, & talem opinionem docuiſſe, candide fateor; *& tamen in Indice Sanctitas Veſtra* Suarezium *leget, Dominicanos non leget.*

*Sexta ratio. Sunt quædam injurioſa, quæ in perſonas veneratione digniſſimas redundant. Tria tantum exempla proferam.*

*Primum. Tom. 2. pag. 139. verſans quandam Regulam S. Ignatii, quæ ſic habet:* Ad majorem in ſpiritu profectum, & præcipue ad majorem utilitatem propriam, contentus eſſe quiſque debet, ut omnes errores, & defectus ipſius, & res quæcumque, quæ notatæ in eo, & obſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra Confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur: *Concina ſubdit:* Quod in hac controverſia mihi faceſſit negotium, illud eſt, quod nulla Religio diſciplinam profitetur perfectiorem illa, quam Chriſtus ipſe in ſuo Apoſtolico Collegio inſtituit. Hanc perfectionem omnes Sacri Ordines ſequendam amplectuntur. Porro Chriſtus Dominus ea omnia præſcripſit, quæ ad hunc finem obtinendum conducunt. Inter alia autem præcipit, ſecreto corrigendum eſſe delinquentem fratrem. Qui contendunt (*nempe S. Ignatius*) melius efficaciuſque incolumem diſciplinam Evangelicam conſiſtere, ſi, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denunciandum delictum afferatur; hi profecto Evangelium corrigere, regulaſque perfectiores, ac prudentiores præſcribere velle videntur.

*Quam hoc ſit honorificum ſancto Legislatori, ſummiſque Pontificibus, Inſtitutum noſtrum approbantibus, & ſub pœna excommunicationis prohibentibus, ne qua ejus pars directe, vel indirecte impugnetur, nemo non videt.*

*Secundum. Tom. 2. pag. 104. defendens, eſſe vetitum jure divino, ne Beneficiarii teſtentur in favorem conſanguineorum; ita ſcribit:*

Objicies 8. Pontifices in dies facultatem tum Beneficiariis, tum ipſis Epiſcopis Regularibus, teſtandi etiam in uſus profanos, nempe in favorem conſanguineorum, concedunt. Falſa ergo oppoſita ſententia. Reſpondeo. Non de eo, quod Pontifices ſummi peragunt, ſed de eo, quod ſuis conſtitutionibus agendum præſcribunt, modo diſputamus. Plura impertiuntur Pontifices ſummi, inquit S. Bernardus, aut mendacio decepti, aut importunitate victi ... Futile itaque eſt, & vaniſſimum ſophiſma iſtud, a Pontificum diſpenſatione petitum.

*Igitur Pontifices, qui prædictam facultatem conceſſerunt, fuerunt ſocordes, vel debiles, aut mendacio decepti, aut importunitate devicti conceſſerunt aliquid fieri, quod a lege divina vetitum eſt.*

*Tertium eſt. Tom. 8. pag. 390. recenſens, ut ipſe ait, invictas cauſſas communionum ſacrilegarum, ſic ſcribit:* Quid de ipſis perſonis Deo conſecratis dicam? Moniales ſimoniæ ſcelus, quod perpetrant, dum a puellis ad habitum Religionis admittendis dotem, & vitalitium exigunt, falſo ut plurimum titulo paupertatis Monaſterii incruſtant.

*Igitur, Beatiſſime* Pater, *non Moniales modo ſimoniam committunt, ſed Pontifices, & ſacra Congregatio Cardinalium ad ſimoniam cooperantur, dum facultatem admittendi puellas non concedunt, niſi dotem perſolvant.*

*Septima ratio eſt. Quia P.* Concina *in hac ſua Theologia reſcripſit, & recoxit quidquid contra Societatis Auctores ſcripſerunt* Montaltius *in* Litteris Provincialibus, Wendrochius *in ſuis notis, Auctor* Theologiæ Moralis Jeſuitarum, *Vincentius* Baronius *in*

Ethi-

ptione fore prædicabat vehementiſſime, pro eaque obtinenda nervis omnibus contendendum eſſe exclamabat; ſperans profecto ſe plurimum emolumenti capturum, ſi res ex Jeſuitarum ſententia ceſſiſſet. Nefas inde, atque a majeſtate ſua alienum ducens *Benedictus XIV.* indicta cauſſa, damnare hominem, quem magni faciebat, contractum ſibique oblatum a PP. Societatis libellum die XXIX. Auguſti S. Sabinæ ſacra P. Antonino *Bremond*, Ord. Præd. Generali Magiſtro, dedit, ab eoque eundem Concina accepit, ut reſponſum eidem faceret, uti Pontifex flagitabat. Tum Concina quo incorruptius procederet, libellum exactiſſime non ipſe ſolum exſcripſit, ſed idem etiam faciendum curavit tum a P. Vincentio Maria *Dinellio*, tum ab altero ſecundum P. *Bremondii* juſſa. Quo peracto duas quam celerrime adornavit reſponſiones, alteram latino, alteram vero italico exaratam idiomate, in qua poſtrema primæ evulgandæ reſponſionis facultatem a Pontifice precabatur. Hæ duæ ſcriptiones exhibitæ Pontifici a P. *Bremondio* die XXI. Septembris admirabilem cauſarunt rerum mutationem. Exaggeratas in Concinam accuſationes, potioremque harum partem eſſe confictam, illico animadvertit ſagaciſſimus æque ac doctiſſimus Pontifex; quare Calabri illius hominis, aliorumque cum eo crocitantium voces compreſſit dicens: *de proſcriptione* Theologiæ Chriſtianæ *ne verbum quidem audire ſe velle, ſed unice de eo eſſe ſollicitum: an revera illo in Opere ſententiæ moribus pernicioſæ reperirentur, falſo per injuriam & calumniam adſcriptæ Scriptoribus Societatis.* Denegavit autem Concinæ latinæ reſponſionis evulgandæ facultatem, eo quod in ea tum ſe fortiſſime tueretur, tum Jeſuitas perſtringeret acerbiſſime. Neque minus ſane ab homine expectari poterat, qui tantam in invidiam nominiſque diſcrimen ſe vocatum viderat, adeo injuſtis falſiſque accuſationibus. Nobis hanc latinam apologeticam ſcriptionem, præter nudum ſchediaſma, videre non contigit, licet nulli labori, ac perquiſitioni pepercerimus; nacti tamen ſumus autographon italicæ reſponſionis, cujus titulus latine ſic ſonat: *Libellus ſupplex F. Danielis* Concinæ *oblatus* Benedicto XIV. *die* XXI. *Septembris* A. MDCCLI. *adverſus Libellum ſupplicem a P.* Vice-Comite *Generali Jeſuitarum porrectum eidem Pontifici nomine totius Societatis, congregatæ in Congregatione Generali, in qua idem P.* Vice-comes *Generalis inauguratus eſt.* In hoc porro libello latinæ ſcriptionis ſæpe mentionem facit, ex eoque colligitur multo ampliorem italica extitiſſe. Evulgato a nobis libello ſupplici PP. Societatis, æquum modo fuerit, reſponſionem eidem a Concina factam publici juris facere; unde prudens, doctuſque lector poſſit dignoſcere quænam ratio habenda ſit tot clamorum PP. Societatis. Ut vero inedita hæc hactenus Concinæ lucubratio, gratior & acceptior, iis præſertim qui linguam italicam non callent, evadat, a nobis latio donabitur, ad ſenſum mentemque auctoris adamuſſim atque ſcrupuloſius expreſſa (1). Interim PP. Societatis & Pontifi-

Ethica Chriſtiana, *& præſertim Henricus* a S. Ignatio in Ethica Amoris, *qui omnes damnati ſunt. Hos ipſe non imitandos ſolum, ſed ferme verbatim a ſe exſcribendos, & dicacitate ſuperandos propoſuit, ut Theologi deſignati teſtari poſſunt, ut quæ probra, contra Societatem in iſtis damnatis libris diſperſa, ab omnibus legi non poterant, in hac Conciniana Theologia collecta, & aucta impenſe jam a quolibet de vulgo legi poſſint.*

*Cum igitur, Beatiſſime Pater, nullus hactenus liber ne ab Hæreticis quidem prodierit Societati noſtræ infenſior, ac pernicioſior: nullus qui pluribus impoſturis, conviciis, cenſuris, & injurioſis debacchationibus ſcateat: nullus qui venenum, contra Societatem in aliis diſperſum, plenius in unum colligat: prædictus Præpoſitus Generalis tum ſuo, tum univerſæ Societatis in Comitiis Generalibus congregatæ nomine, damni hujus reparationem, atque Operis proſcriptionem a Sanctitate Veſtra ſuppliciter, ac demiſſiſſime petit. Quod ſi conceſſerit, immortalia ſua erga Ordinem noſtrum merita novi hujus beneficii acceſſione munificentiſſime cumulabit.*

*Beatiſſime Pater.*

(1) *Fr. Daniel* Concina *ad Sanctitatis Tuæ pedes humillime provolutus exponit; quatenus momenta atque rationes, quas RR. PP. Societatis adverſus* Theologiam Chriſtianam *protulerunt, ejuſdem Theologiæ ſatis firmam conficiunt apologiam. Indicabo S. V. quidquid veri, ac falſi opponitur mihi.*

*Op-*



tificis ſenſuum, & Concinæ ſcriptionum minime ignari, ac plane diffidentes ſe aſſequi poſſe, quod votis majoribus expetebant, conatus, & ſtratagemmata auxere. Romano Pon-

*Oppoſitio I. In* Theologia Chriſtiana *cuique tractatui damnatarum laxarumque opinionum Elenchus præmittitur; quo modo judicium Eccleſiæ prævenitur.*

*Reſponſio. In hujuſmodi Elencho præmittendo illuſtriores Theologos ſecutus ſum.* Card. Pallavicinus, *cujus verba in adjuncta huic libello ſcriptione profero, ſic eſſe faciendum docet. Imitatus etiam ſum P.* Francolinum, *qui pariter Elenchum præmittit propoſitionum ex operibus* Merbeſii, Juvenini, *ac Præſulis* Genetti *excerptarum, quas Rigoriſmi fuligine tinctas eſſe arbitratur. Falſum autem eſt me Eccleſiæ judicium prævenire, quia centum in locis me, tanquam privatum Theologum eas referre opinationes, eaſque ſuperiorum judicio ſubjicere ac reſervare, proteſtatus ſum.*

*Opp. II. Opiniones laxæ in Elenchis collectæ alteratæ ſunt, ac deformatæ.*

℟. *Ex quingentis circiter laxis opinionibus, collectis ex Caſuiſtis Carmelitis, Trinitariis, Jeſuitis, Clericis Regul. aliiſque ſcriptoribus ſæcularibus in mea* Theolog. Chriſt., *tres mihi tantum opponuntur; una ſcilicet ex* P. Moya *tanquam ab ipſo propugnata, quum tantum referatur: altera ex P.* Sanchez, *in qua typorum orror irrepſit;* Nec *ſcilicet loco* Et; *tertia demum ex P.* Lacroixio, *in qua etiam typographicus occurrit error;* Voviſti *nempe loco* Voluiſti. *Aliæ propoſitiones, præter iſtas, alteratæ non afferuntur. Tria igitur iſta errata in adjuncta ſcriptione retracto.*

*Opp. III. In novem* Chriſt. Theolog. *Tomis ſex Jeſuitarum Caſuiſtarum citationes falſæ occurrunt,* Sanchezii *ſcilicet,* Laymani, Eſcobarii, *ac* Filliucii.

℟. *Hæ omnes ſex citationes ex PP.* Salmanticenſibus *deſumptæ ſunt, qui nunquam, quod ego ſciam, a PP.* Viva, La-croixio *aliiſque de his expoſtulati ſunt. Nihil frequentius ingentium ſcriptoribus voluminum evenit, quam in citandis Auctoribus aberrare, ut fortaſſe Sanctitas Tua experta eſt. Ceterum, cum hiſce de rebus admodum levibus, parvique momenti neque litem intendere, nec contentionem movere velim, ſex mihi objectas citationes libens rejicio, atque retracto. Atque hi quidem errores ſunt in* Theolog. Chriſt. *deprehenſi, mihique oppoſiti. Ceteræ omnes oppoſitiones aut falſæ evidenter ſunt, aut falſa continent ratiocinia, quemadmodum breviter heic innuam, plura in adjuncta ſcriptione prolaturus.*

*Opp. IV. In* Theologia Chriſtiana *contemtui habetur D. Ignatius circa renuntiationem ſecretæ correctionis. Ad id demonſtrandum verba proferuntur ex Tom. II. pag. 139. quæ hujuſmodi ſunt:* Quod in hac controverſia mihi negotium faceſſit, illud eſt; quod nulla Religio diſciplinam profitetur perfectiorem illa, quam Chriſtus ipſe in ſuo Apoſtolico Collegio inſtituit. Hanc perfectionem omnes ſacri Ordines ſequendam complectuntur. Porro Chriſtus Dominus ea omnia præſcripſit, quæ ad hunc finem obtinendum conducunt. Inter alia autem præcipit ſecreto corrigendum eſſe delinquentem fratrem. Qui contendunt melius efficaciuſque incolumem Diſciplinam Evangelicam conſiſtere, ſi, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediate ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur, hi profecto Evangelium corrigere, regulaſque perfectiores, ac prudentiores præſcribere videntur.

℟. *Eodem in loco propoſitæ hujus difficultatis ita immediate eidem reſpondetur, ut qui difficultatem perlegerit, idem etiam reſponſum videre compellatur:* Hoc mihi, *inquio*, difficultatem ingerit. Nec ob id tamen improbo, ſi quid ſapientes ſanctique Viri oppoſitum ſtatuerunt; quin illis, utpote divino perfuſis lumine faſces ſubmitto, & UTROQUE POLLICE SUBSCRIBO. *At a ſupplicantibus opponitur difficultas, atque effertur, reſponſio vero occultatur, altoque premitur ſilentio. Detruncatio hæc, B. P., non equidem in novem* Theologiæ Chriſt. *Tomis adparet, ſed in libello ſupplici Tibi Romano P. porrecto obſervatur, unde coram Catholica Eccleſia ad publicam* Theolog. Chriſt. *damnationem compellaris. Factum, etſi fere incredibile, verum tamen eſt.*

*Opp. V. Auctor* Theolog. Chriſt. *docet obligationem, qua adſtricti ſunt Epiſcopi ac Beneficiati ſuperflua pauperibus erogandi, juris eſſe divini, ad juſtitiam, vel ad caritatem ſaltem pertinentis. Oppoſitioni vero, quam adverſus hanc doctrinam Theologi in-*

*Tom. I.* (I) *ſtituunt,*

Pontifici, S. R. E. Cardinalibus, aliiſque nobilium Virorum epiſtolas exhibuere, Con- cinianæ Theologiæ proſcriptionem flagitantium; totoque ferme eo tempore, quo magnum

ſtituunt, quod Pontifices nimirum Epiſcopis teſtandi facultatem concedant, ſatisfaciens illud D. Bernardi opponit: Plura impertiuntur Pontifices Summi, aut mendacio decepti, aut importunitate victi. Hæc reſponſio, inquiunt, Pontificibus injuria eſt.

℟. Exoro ſupplicantes, ut vel meliorem ea, quam D. Bernardus adfert, reſponſionem aſſignent; & ſtatim typis evulgabo: vel ſincere fateantur ſe onerare, atque opprimere innocuum hominem; niſi velint communi Eccleſiæ doctrinæ, docentis eam obligationem eſſe præcepti divini, caritatem ſaltem reſpicientis, valedicere, ac defendere obligationem, ad quam Epiſcopi & Beneficiati tenentur, præcepti ſolum fore Eccleſiaſtici.

Oppoſitio VI. In Theologia Chriſt. injuria, ac calumnia afficitur P. Tamburinus, qui defendit cum quis dicit: juro per Deum, non jurare, quando reſtrictione mentali intendit ſe non invocare nomen Dei. In Theologia autem Chriſt. defenditur hanc propoſitionem damnatam eſſe in propp. 25. & 26. Venerab. Innocentii XI. Hoc autem, inquiunt, falſum eſt, quia hanc propoſitionem docet P. Suarez; atque inde concludunt: Ergo inique Concina calumniatus eſt Tamburinum. Pari modo, addunt, etiam ſe gerit erga P. Vivam.

℟. In adjuncta ſcriptione propoſitiones binas damnatas, atque verba affero P. Tamburini, quæ materialiter eadem ſunt ac damnatæ propoſitionis; formaliter vero continent ſenſum, quemadmodum ego evidenter, ut mihi quidem videtur, demonſtro. At ſupponamus argumentationes meas eſſe falſas; jam hanc conſecutionem haud poſſunt adverſarii deducere: ergo Concina inique calumniatus eſt; ſed recta conſecutio eſſet iſta: ergo peſſime Concina argumentatus eſt. At ſi ratiocinationes meæ, quæ opponentibus minime placent totidem calumniæ ſunt, & ego, & omnes Antiprobabiliſtæ totidem erimus calumniatores. Pari modo opinio a me recitatur P. Vivæ, quam in Theologia Morali docuit, quamque exacte a me exſcriptam eſſe confitentur; at me Theologum hunc onerare dicunt, quia P. Viva temperat eam opinionem; abſorberi ſcilicet poſſe, jejunii tempore, cocolatam toties quoties libuerit, in ſua Trutina, ad quam Lectores mittit. At Trutina edita eſt A. 1708. curſus vero ejuſdem Theologiæ Moralis A. 1721. Juxta omnes leges ſtandum eſt ultimis. P. Viva in ſua Theologia reſtringit, quod in Trutina docuit.

Oppoſitio VII. Novem Theologiæ Chriſt. Tomi contumeliis, injuriis, atque debacchationibus conſperſi ſunt contra Caſuiſtas, ac præſertim Jeſuitas, qui tanquam Auctores damnatarum propoſitionum traducuntur. Indices verborum malitioſo artificio ſunt contexti, in iiſque Jeſuitæ nunquam laudantur, ſed ſolum ceu opinionum laxarum magiſtri memorantur.

℟. Si vel unica in novem Chriſt. Theologiæ Tomis contumelia, atque injuria reperitur contra Societatem, aut aliquem privatum Jeſuitam, carnificis manu comburantur. Dicam ultra. Si Jeſuitæ ſapientiores, ipſaque Societas cæteris clarius in mea Theologia non reſplendent, aut quavis data occaſione Societatis ſcriptores non laudantur, ac præconiis non extolluntur, me pœnæ cuicumque ſubjicio. Legatur §. I. adjunctæ ſcriptionis, ubi demonſtratur opinationes aliorum cœtuum Caſuiſtarum, & præcipue Dominicanorum ſeverius refutari, ac caſtigari. A vero ergo abhorret me præ cæteris Societatis Jeſu Caſuiſtas vulnerare voluiſſe. Quod affirmo, ex parte fatetur etiam in Hiſtoria ſua P. Franciſcus Ant. Zaccharias. Card. Bellarminus, Toletus, Pallavicinus, Vitelleſchius, Comitolus, Blanchus, Elizalda, Camargus, Albertus de Albertis, Encericus de Bonis, Munieſſa, Gonzalezius, qui lucidiora Societatis aſtra reputantur, magiſtrorum loco a me habentur. Omnes eam, quam ipſe profiteor, doctrinam docent, atque omnes a me & in Opere, & in ejus Indice adeo frequenter laudantur, ut tantam liberalitatem, laudumque copiam in eoſdem complures docti Viri reprehenderint. Atque ab his Scriptoribus Societatis, neutiquam vero a Paſchali, aut Wendrochio, aut Henrico a S. Ignatio, ut falſo opponunt, prolixos, atque multiplices exſcripſi textus, ac millies prædico, & repeto inſignes hoſce Jeſuitas cæteris validius, for-

tiuſ-



gnum negotium ſub judice fuit, nihil omiſſere intentatum, ut favore potentium viro- rum obtinerent, quod ratione ſe aſſequi poſſe deſperabant. Et quamvis non magna & fau-

tiuſque benigniorem ethicen confutaſſe. At quia non eadem dixi, atque ſenſi cum Gobato, Eſcobario, Sanchezio, Tamburino, Viva, La-croixio, Buſembaum, ut ex animo atque conſcientia nec dicere, nec ſentire poteram, ideo ne propterea Societati injurius, atque inimicus ero reputandus? Quamquam etiam horum Caſuiſtarum piam intentionem, aditum ſcilicet ad Paradiſum reddendi faciliorem, ſemper juſtificavi, atque excuſare conatus ſum. Hoc totum luculenter in adjuncta ſcriptione demonſtratur. Accuſatio vero ex indicibus, quos ipſe non compoſui, petita, mei vindicias conficit; quia indices ſolum manifeſtant, quod in Opere univerſo pertractatur; cumque accuſatores nihil alicujus momenti in IX. tomis expiſcari potuerint, ad Indices confugerunt. Nihiloſecius neque hoc ipſis prodeſt. Indicabo curſim, quæ in Indice Verborum IX. Tomi in laudem Jeſuitarum exhibentur. In Littera A. Albertus de Albertis S. I. Theologus præſtantiſſimus invehitur adverſus Confeſſariorum ignorantiam & laxitatem. In Littera B. Bellarminus Robertus S. R. E. Card. S. I. quanti merito faciendus pag. 334. Venerab. Card. Bellarminus quem ego pluris facio, quam ſexcentos Caſuiſtas, quos citant ec. In Littera C. Cardenas Jo: laudatur, quia Probabiliſmum recte coercuit. In Littera E. Elizalde Michael Soc. Ieſu doctiſſimus Theologus. In Littera I. Jeſuitæ ſapientiores & doctiſſimi nimiam Confeſſariorum laxitatem deplorant. In Littera S. Societas Jeſu vetat laxas opiniones a ſuis doceri. Suarez P. Franciſcus Soc. Jeſu Theologus præſtantiſſimus a nota contradictionis eximitur. In Littera T. Terillus P. Antonius Soc. Jeſu. Theologus inſignis invectum a quamplurimis Theologis laxiſmum conqueritur. At vero delatores mei ex novem Tomis modo unam, modo aliam periodum abſtraxerunt; in quibus monſtruoſas opiniones ipſe deteſtor, meaſque invectivas atque deteſtationes adverſus enormes horrendoſque errores intortas expreſſere, ac ſi in earumdem Auctores eſſent contortæ. Atque id, quod fidem ſuperare videtur, opiniones occultant, & invectivas ſolum manifeſtant. Indigitabo curſim aliquot ex quingentis circiter noxiis, pernicioſiſque opinionibus, contra quas vocem extuli. I. Occidi homo propter pomum poteſt, ubi de honoris agitur defenſione. II. Licet calumniare innocentem, & occidere calumniatorem, a quibus obventuram infamiam dubitatur. III. Blaſphemus ex habitu non committit novum actuale peccatum mortale, quando ſine advertentia blaſphemat; imo probabilius eſt non peccare, cum etiam eſt habitualiter diſpoſitus ad blaſphemandum cum advertentia. IV. In aliquo caſu Chriſtianus, lethali peccato cognito fœdatus, Chriſti corpus ſumere poteſt, non præmiſſa confeſſione, aut contritione. V. Famuli præparare poſſunt Dominæ, ejuſque amaſio epulas ad libidinem excitantes, atque lectum mollius componere floribuſque exornare, ut majori commoditate, uberiorique delectatione fornicari poſſint. Potuiſſem ne ego, vel debebam horrendas haſce opinationes, millenaſque ipſis ſimiles, pacato animo refutare, vel ſine gemitu ac clamore rejicere? Ita ne vero hujuſmodi invectivæ in opiniones intortæ tam aperta violentia in Caſuiſtas ipſos regeruntur? Si quis Caſuiſtarum hæretica dogmata adverſus fidem catholicam diſſeminaret, quemadmodum errores contra bonos mores docuerunt, jam ea hæreſim ſapere nemini unquam licebit dicere, quin ſtatim aut ut maledicus audiat, aut calumniatoris notam incurrat. Ut ergo paucis multa complectar, præter ſex falſas citationes, quas ex Salmanticenſibus hauſi, quaſque, licet aliquo modo ut veræ ex parte ſuſtineri poſſent, ut jurgia fugiam, pleno ore retracto: præter errores duos; alterum typorum quidem; alterum vero quod erraverim in quadam ex damnato P. Moyæ libro opinione exſcribenda, evidens eſt cæteras omnes accuſationes eſſe falſas, & accuſantium injuſtitias patefacere. Supplicantes teſtes Theologos vocant ad eorum, quæ narrant, ſtabiliendam veritatem. Ego vero S. T. exoro, ut ſcribendum curet ad Enriquezium Sedis Apoſtolicæ Matriti Nuntium, ad Card. Amedeum a Lanceis, ad Caracciolum ejuſd. S. Sedis ad Venetos legatum, ad Auguſtinum Spinulam Savonenſium Antiſtitem, ad Bragadenum Epiſcopum Veronæ, ad Radettum Epiſcopum Bergomi, ad Gullielmium Archiepiſcopum Urbinatem, ad Recchum Epiſcopum Cupræ Montanæ, ad Vignolium Epiſcopum Septempedæ, ut ex conſcientia conteſtentur,

 quid

fauſta, ſed ſibi potius adverſa ex Pontificio poſſent, ac deberent ore colligere, fautorum tamen ſpe, ac potentia elati, multa cum inepta tum falſa jactabant in vulgus, ut fama præcurrens ea nuntiaret, quorum ipſi maximo deſiderio tenebantur. Hinc quaſi Pontifex ſapientiſſimus ignaviſſimi vulgi deſideria, ac mendacem famam in promenda ſententia ſecuturus eſſet, per compita & trivia exclamabant: brevi Concinam tot tantarumque injuriarum, quibus Societatem affixerat, pœnas datutum; atque ſolemnem numeriſque omnibus abſolutam palinodiam juſſu Romani Pontificis editurum. Triſtiores denique, acerbioreſque terribili, licet inaniſſimo augurio, vociferabantur: Eccleſiaſticorum ſententia judicum obſcuriſſimo carcere eſſe claudendum, atque igni & aqua interdicendum; unde non amplius ſcribillationibus ſuis Eccleſiam, atque univerſum infeſtare orbem poſſet. Tanta erat PP. Societatis in Concinam acerbitatis atque odii magnitudo. Concina licet hujuſmodi clamorum, ac vociferationum, quæ grandes animas & magno nomine tutas raro percutiunt, nullam habendam eſſe rationem duceret, in tanta tamen adverſus ſe officiorum, atque precantium multitudine dormitandum haud eſſe facillime intellexit. Etſi autem ipſe quoque opibus & genere florentium hominum implorare opem poſſet, decrevit nihilominus ſola ratione cauſſam tutari ſuam, minime neſcius hanc ſæpe viciſſe opes & gratiam. Quare ut ſui inimicorum propoſitum S. R. E. Cardinalibus manifeſtaret, atque toti Romanæ Urbi cauſſam probaret ſuam, breviſſimam ſed pondere maximam ſcriptionem compoſuit, in qua non alia de cauſſa ſe apud Summum Pontificem accuſatum demonſtrabat, quam quod in *Theologia Chriſtiana*, caſtigatiori ethice ubique tradita, benignioris doctrinæ magiſtros exagitaſſet. Scriptio hæc ejus cauſam mirabiliter juvit, multiſque oculos adperuit, qui *Theologiæ Chriſtianæ* damnationem & urgebant, & præſtolabantur. Magnum ſane hujus ſcriptionis eſt pondus, ac plura complectitur, quæ longam deſiderarent orationem. Quam inſtituere ſine grandi invidia cum mihi non liceat, licebit ſaltem eam heic recitare latinis redditam litteris, ut quiſque inde longius cogitatione excurrat, ejuſque robur agnoſcat (1). Dum Concina ſolius cauſſæ bonitati, ac Supremi Numinis, cujus

*quid ipſi, quid ſuarum Diœceſeon doctiores viri de* Theologia Chriſtiana *ſentiant, quam jam quidam in Apuliæ, Siciliæque Seminariis legere, ac profiteri cœperunt. Certe ſupplicantes ſeveriori diligentia novem tomos perſcrutati ſunt. Quidquid potuere mali collegerunt. At vero cunctæ abberrationes ad paucos, eoſque innocentiſſimos errores reducuntur: nihiloſecius concludere non dubitant:* Nullius hactenus Liber, ne ab Hæreticis quidem prodiit Societati noſtræ infenſior, ac pernicioſior, nullus qui pluribus impoſturis, conviciis, cenſuris & injurioſis debacchationibus ſcateat, qui venenum contra Societatem in aliis diſperſum plenius in unum colligat &c. *Tremendiſſimas haſce perlegens cenſuras, confuſione repletus, lacrymiſque obrutus quid promam neſcio præter illud:* digna factis non recipio, *quia graviora propter peccata admiſſa promereor. Quamquam accuſationes graviſſimæ non ideo adverſus me afferuntur, ut mea peccata puniantur, ſed ut exterminetur* Theologia Chriſtiana, *quæ, ut ex tacita adverſariorum meorum confeſſione deducitur, ſaniſſimam continet doctrinam, quum ne unam quidem afferre potuerint propoſitionem aut nimis rigidam, aut nimis laxam, neque mihi aut Rigoriſtæ, aut Laxiſtæ notam inuſſerint.*

*Tu quidem, B. P., meus Dominus es, meuſque Mæcenas clementiſſimus. In cæteris dijudicandis factis meis tui miſericordiam deprecor, ac poſco: at vero in hac cauſſa ſeveriorem tui imploro flagitoque juſtitiam. Quæcumque admiſi adverſus veritatem, paratiſſimus ſum revocare, ut revera indicatos errores retractavi, alios revocaturus libentiſſime, ubi mihi innotuerint. Famoſi libelli adverſus me ſcripti atque vulgati, atroces perſecutiones, quas pertuli, non effecere, ut mei lamentationes gemituſque ad Sanctitatem Tuam deferrem, nec turbabo te unquam, cum quæſtio fuerit de mei perſona omnium miſerrima. Id unum poſtulo, ut ſi adverſarii mei urgere rem adverſus* Theologiam Chriſtianam *perrexerint, juſtitia utaris ſeveriore. Sanctitatis Tuæ interim ſupremis me ſubjicio diſpoſitionibus, ac dum ſanctiſſimos pedes exoſculor adpromitto, me ad tui voluntatem ita compoſitum, ut nullum filium me obſequentiorem ſis reperturus.*

(1) Cenſura.

Conten-



opem quotidie per ea tempora ferventius implorabat, auxilio innixus ethices Chriſtianæ patrocinium ageret admodum ſtrenue ac invicte, adverſariorum ejus ſtudia non frigebant,

*Contenta in libello ſupplici porrecto regnanti S. P.* Benedicto *XIV. a Reverendiſſimo P.* Vicecomite, *Generali Jeſuitarum nomine totius Societatis adverſus novem tomos* Theologiæ Chriſtianæ.

Cum igitur, B. P., nullus hactenus liber, ne ab Hæreticis quidem prodierit Societati noſtræ infenſior, ac pernicioſior, nullus qui pluribus impoſturis, conviciis, cenſuris, & injurioſis debacchationibus ſcateat: nullus qui venenum contra Societatem in aliis diſperſum pleninus in unum colligat: prædictus Præpoſitus Generalis, tum ſuo, tum univerſæ Societatis, in Comitiis generalibus congregatæ, nomine damni hujus reparationem, atque Operis proſcriptionem a S. V. ſuppliciter, ac demiſiſſime petit. Quod ſi conceſſerit, immortalia ſua erga Ordinem noſtrum merita, novi hujus beneficii acceſſione, munificentiſſime cumulabit.

*Cenſura.*

*Contenta in libello ſupplici porrecto S. P.* Innocentio XII. *a quinque* Aſſiſtentibus *Societatis Jeſu adverſus librum Reverendiſſimi Tyrſi* Gonzalezii *Generalis ejuſdem.*

Aſſiſtentes Societatis Jeſu pedibus veſtræ Sanctitatis &c. P. Tyrſus *Gonzalez* Generalis jam a duobus annis, & amplius totam Societatem *laceſſit*. Primo. Prætextu cujuſdam libri, quem ſcripſit de *Opinione probabili*, olim rejecti a P. *Oliva* ... Hic ut paucis multa complectamur *Libellos famoſos & incredibiliter maledicos* ſpargit contra noſtram Societatem, quibus non modo Delingani Operis *falſitates* & *contumelias* complectitur, ſed etiam auget & amplificat ... Hic ſuos Aſſiſtentes ... *graviter laceſſit in ſuis libellis* ... Interea tenemur S. V. pedibus advolvi ſupplicantes primo, ut illam P. Generalis *acerbitatem & conatus*, qua poteſt, auctoritate coerceat. 2. Ut a ſcripturis & *libellis* abſtinere jubeat, quos *amaritudinis felle & invidioſo in Jeſuitas nomine proſeminat*. 3. Ut quæ ſcripſit *contra veritatem & famam Societatis* in dictis libellis, revocet.

Pachanus *de Caſanucca* Aſſiſtens Hiſpaniæ.
Jo: *Bomier* Aſſiſtens Galliæ.
Julius *Balbus* Aſſiſtens Italiæ.
Ant. *del Rego* Aſſiſtens Luſitaniæ.
Euſebius *Truchſes* Aſſiſtens Germaniæ.

*Concluſio I.*

*Luce meridiana clarius eſt Tyrſum* Gonzalez *nullam contumeliam, nulla maledicta, nullos famoſos libellos, nullas denique injurias adverſus ſuam Societatem ſcripſiſſe, ſed contra hanc ſemper eſſe tutatum, atque laudaſſe ſuo in libro edito Romæ & Delingæ. Hæc prima propoſitio inconcuſſa eſt: ergo conſecutio neceſſaria eſt; Adſiſtentes Societatis eum accuſare tanquam hominem* incredibiliter maledicum, *calumniatorem & obtrectatorem Societatis Jeſu hac ſola de cauſſa, quod laxam refutaverit doctrinam, & caſtiorem defenderit.*

*Concluſio II.*

*Cenſores Jeſuitæ delecti, ac deſignati a Congregatione Generali, & fortaſſe multo ante ipſam poſt longum, ac rigidius examen* Theologiæ *P.* Concinæ *nec verbum quidem expiſcari potuerunt injurioſum aut adverſus Societatem, aut quencumque privatum Jeſuitam: ſed contra laudes, & elogia ubique per* Theologiam Chriſtianam *diſperſa eſſe nactos. Prima hæc propoſitio conſtat cum ex libello ſuplici, porrecto Summo Pontifici a P. Generali Jeſuitarum, tum ex Operibus P.* Concinæ. *Prima conſecutio: ergo tota Societas congregata* in Comitiis Generalibus *accuſat, & reprehendit libros P.* Concinæ, *ceu pejores libris Hæreticorum, injurios, & pernicioſos Societati Jeſu ob id duntaxat, quod in ipſis laxæ opiniones convellantur, ſaniorque doctrina, atque ſacro-ſancto Evangelio conformior defendatur. Conſecutio ſecunda: ergo tota Societas Jeſu congregata in* Comitiis Generalibus *ſe declarat, ac profitetur fautricem laxarum opinionum, & adverſam ſanioribus doctrinis, atque Evangelio conformioribus. Conſecutio tertia: Ergo Jeſuitæ non jam amplius privatim, ſed* in corpore *perſequuntur tamquam obtrectatorem, & calumniato-*

gebant, nec minimum remittebantur. Spectabatur ab ipſis *Theologiæ Chriſtianæ* damnatio tanquam inſigne, ac per omne ævum celebrandum facinus, & illuſtriſſimus ac nulli par triumphus Societatis. Totus hinc Orbis ſummam fuerat in expectationem adductus; quum alii, & quidem numero plures, ad Societatis potentiam reſpicientes, *Theologiam Chriſtianam* nigro theta notandam, interque peſtilentiores libros hæreticorum collocandam dicerent; alii e contra incorruptam a Concina traditam doctrinam conſiderantes, eum ex tanta procella, atque diſcrimine victorem rediturum verius prædicarent. Urgentibus interea quamplurimis Pontificem, ut rei finem tantopere exoptatum imponeret, coram eodem tum libelli ſupplicis PP. Societatis, tum Concinæ reſponſionum lectio eſt habita. Quibus peractis Pontifex hiſce ſcriptionibus denuo accurate conſideratis, mandavit delectis illis tribus Theologis, ut declarationem ipſi conficerent, in qua typoghraphica errata, falſæ nonnullæ citationes, aliaque hujuſce generis (nam graviora menda non inveniebantur in *Theologia Chriſtiana*) revocarentur. Hi unanimi conſenſu ſcriptionem a Pontifice juſſam adlaborarunt, in eaque præter modum Concinam onerarunt: erant enim omnes Patribus Societatis addictiſſimi, quamvis P. *Mancinus* cæteris antecelleret, & præ ſtudio iis favendi perfectiſſime furere videretur. Pontifex ſcriptionem livore ſtudioque partium infectam cum legiſſet, in magna frequentia hominum, *Non vogliamo*, inquit, *che quel Galantuomo del* Concina *ſia aggravato*. Hinc rem hac ratione componi difficulter poſſe animadvertens, memorabili exemplo, ſedare jurgia & clamores extinguere per ſe ipſe aggreſſus eſt.

## CAPUT XXX.

*Declarationem dictat* Benedictus XIV. *eamque Concina evulgat. Ridiculi atque inanes ex ea clamores, ac ſtrepitus Concinæ inimicorum.*

SI vanum ſane ac lepidum Augurum unquam genus fuit, eo tum maxime tempore habitum eſt, poſtquam PP. Societatis aſperiora in *Theologiam Chriſtianam* ejuſque auctorem jactaſſent. *Benedictus XIV.* Pontifex ſapientiſſimus cum cauſſam eſſe nullam noſſet, quare aut proſcribi mereretur *Theologia Chriſtiana*, aut ad canendam Palinodiam auctor impelli, ſtatuit per ſe ipſe finem concertationi exemplo memorabili imponere: erat enim pertæſus infinitarum lamentationum PP. Societatis. Quare ad ſe vocato Præſule *Giampè* italicam *Declarationem* ipſi dictavit, in qua Concinianæ reſponſionis ad libellum ſupplicem PP. Societatis, quem edidimus, ordinem ac materiam fere & modum ſecutus eſt, ut facile quivis poteſt animadvertere. Hanc autem *Declarationem* P. Antonino *Bremondio* tradidit jubens, ut eam Concina latinam faceret, & *Theologiæ Chriſtianæ* altero prodituro volumini adjungeret cum hoc titulo: *Declaratio & ſincera Proteſtatio F. Danielis* Concinæ *ſuper aliquibus oppoſitionibus factis contra Tomos ſuæ* Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-moralis *recens typis editos*. Quo gaudio, quave geſtientis animi ſignificatione eandem *a Bremondio* acceperit, non ſemel litteris mandatum eſt (1). Quo interim R. P. juſſa exequeretur, curavit, ut P. Vincentius Maria *Dinellius Declarationem* illam latinis litteris exprimeret; verebatur enim ne ſi id ipſe feciſſet, alium ac præſeferebant, Pontificis verbis ſenſum tribuiſſe diceretur. Quibus a P. *Dinellio* peractis, P. *Bremondius* hortari Concinam ceſſabat nunquam, ut *Declarationem* latino ſimul itali-

coque

*niatorem Societatis P.* Concinam *hac ſola de cauſſa, quod laxas & ſcandaloſas opinationes oppugnet, defendat autem ſanas doctrinas, legi ſacro-ſancti Evangelii conformes.*

P. Concina *ſe paratum promtumque declarat ad confirmandas pleniſſima evidentia recenſitas conſecutiones, cum voce, tum ſcriptis, coram majeſtate ſapientiſſimi regnantis Pontificis* Benedicti XIV., *totoque ſacro Cardinalium Collegio adverſus doctiores, eloquentioreſque Jeſuitas, Reverendiſſimo P. Generali conjunctos. Quod ſi ipſe P.* Concina *in probationibus defecerit, ſe ipſum libentiſſime ſubjicit ſeverioribus pœnis.*

(1) *Accepta a P.* Bremondio Declaratione, *a Pontifice confecta, Concinam dixiſſe ad eundem ferunt:* Mi ſe volè, ve ne faſſo una ogni ſettimana.



coque idiomate vulgaret. Cui conſilio, quod Concina quo tenderet facile intellexerat, continuo reſtitit: haud decere inquiens, libro latine conſcripto italicam admiſcere ſcriptionem, quæ alendæ mulierculárum curioſitati unice inſerviiſſet. Die XXX. Novembris ejuſdem A. MDCCLI. Romanum Pontificem acturus gratias convenit, eumque his verbis Pontifex allocutus eſt: *vi volevano aggravare i Teologi con una ſcrittura caricata, ma abbiamo dettata la volgare. E' tradotta ancora in latino?* Cui Concina: *Padre Santo sì.* Tum Pontifex cum audiiſſet *Declarationem* a *Dinellio* latinis litteris redditam fuiſſe: *Non l' hai dunque tradotta tu? Perchè hai una lingua da leone.* Cui Concina: *Padre Santo, per isbranare gli ſpropoſiti groſſi dei Geſuiti vi vogliono leoni ed orſi. Sappia però V. S. che quando io ho ragione, non più temo tutti i Geſuiti inſieme di quel, che tema il cuoco de' Cappuccini ec.* His, atque aliis, quæ reverentia quadam in PP. Societatis impedior quominus evulgem, ſubriſit Pontifex humaniſſimus, eumque adhortatus ad ſtrenue propugnandam Chriſtianam ethicen benigniſſime dimiſit. Poſthæc *Declaratio* Venetias ad Simonem *Occhium* tranſmiſſa eſt, juſſumque eſt illi, ut eandem primo *Apparatus* ad *Chriſtianam Theologiam* volumini adjungeret, atque ejuſdem exempla C. Pontifici Auctori exhibendas Romam mitteret quam celerrime. Fervente porro acerrime concertationis, univerſæque Societatis rumore, Jo: *Lamius* Reipublicæ Litterarum notum fecit (1): Præpoſitum Generalem Societatis Jeſu de CCLXXX. peccatis Danielem Concinam coram Summo Pontifice expoſtulaſſe: quorum quum fuiſſet examen inſtitutum, præter unicam propoſitionem P. *Mojæ*, ſcriptori damnatiſſimo, falſo adjudicatam, in cæteris omnibus capitibus immanem accuſationem defeciſſe, atque falſiſſimam eſſe repertam. Hoc ægre adeo tulit Præpoſitus Societatis, ut cum Pontifice non ſolum graviſſime conqueſtus ſit; ſed etiam, grandem ſibi irrogatam injuriam arbitratus, ad Cæſarem ſui cauſſam detulerit: cujus juſſu coactus eſt Joannes *Lamius* (ut ferme hiſce in caſibus Litterati cedunt) narrationem ſuam caſtigare (2): qui voluit inſuper partem *Declarationis* a Concina vulgatæ ſuis Ephemeridibus inſerere. (3) Pontifex vero, qui Præpoſiti Generalis animum ultra exacerbare inopportunum ducebat, *Declarationis* abs ſe confectæ exemplaria & impatienter expectabat, & poſtulabat frequentiſſime. Tum P. *Bremond* ad ſedandum animum Pontificis, die XXX. Decembris Concinæ, ac P. Pio Thomæ *Mamachio* juſſit, ut *Declarationem* pararent, quam die inſequenti, quamvis S. Silveſtro ſacra, prælo committere in animo habebat. Quæ dum agitantur, Hieronymus *Chinettius*, publicus curſor Venetorum, optatiſſima *Declarationis* exemplaria ad Concinam detulit, quæ illico a *Bremondio* Pontifici allata ſunt, ab eoque tradita Præſuli Societatis. Quibus gratiarum actionibus, quave lætitiæ ſpecie ea PP. Societatis exceperint, conjecturis aſſequi facilius eſt, quam verbis explicare dicendo. At revera omnino erat neceſſum, ut triumphum acturi quoquomodo, id *Declarationi* ponderis lætitiæ ſignificationibus conciliarent, quod ex ſe non præſeferre quilibet cognoviſſet. Hinc unico fere momento centum illis exemplis a Pontifice acceptis hac illacque diſſipatis, eandem Nonis Januarii Anni inſequentis MDCCLII.

Typis

(1) Novelle Letterarie *Menſis Decemb. A.* MDCCLI. *col.* 811. Il Reverendiſſimo *P. Viſconti*, Generale della Compagnia di Gesù, preſentò alla Santità di *Benedetto XIV.* una querela contro l' Opera voluminoſa del P. Daniello *Concina*, coll' eſporvi l' avervi ritrovate 280. falſità contro gl' Autori della ſua Compagnia, le quali aveva notate in altrettanti Articoli. Il Papa avendo eſaminati detti Articoli, trovò non eſſer nell' Opera ſuddetta, ſe non una falſità di una opinione attribuita al P. *Moja*, ch' è d' un altro, nel che non è gran coſa, che il P. *Concina* sbagliaſſe. Sicchè per lo contrario trovò l' accuſa inſuſſiſtente in 279. capi.

(2) Novelle Letterarie *Menſis Jan. A.* MDCCLII. *pag.* 21. *n.* 2. *Vera tamen fuere, quæ Jo:* Lamius *retulit. Enimvero narratio ejus ad primum libellum ſupplicem PP. Societatis referenda eſt, in quo procul dubio plus quam* CCC. *falſitates* ex Theologia Chriſtiana *ii collegiſſe putabant. At ſi harum ratio vel exactiſſima habeatur, manifeſte conſtabit, harum potiorem partem eſſe confictam; aliquot autem aberrationes facillime excuſari poſſe; ideoque in eo duntaxat Concinam peccaſſe, quod opinionem P.* Mojæ, *tamquam auctori adjudicaverit, quum ab eodem ſolum referatur.*

(3) Novelle di Firenze *ad A.* MDCCLII. *col.* 1747.

Typis *Rubei*, Romani Typographi, denuo curarunt imprimendam, & per totum terrarum orbem ſparſerunt. In Romana Profeſſorum Societatis Domo cuilibet poſcenti, ac non volenti etiam ab janitore dono tradebatur; ne quem forte pœniteret pecunias ſuas tam male collocaſſe. Oneraverant etiam Medicos hujus *Declarationis* (cui tamen Retractationis, ſive Palinodiæ ineptiſſime nomen indiderant) exemplaribus, qui tum, circulatorum, ut ſæpe, aſſumpta perſona, eadem infirmis liberaliſſime largiebantur, quod in Medicis perrarum eſt. Egregium tamen pharmacum; quo nullum ſalubrius propinare poterant ſtomacho adverſus *Chriſtianam Theologiam* laborantibus. Quæ tempore diſtributionis hujuſce *Declarationis* contigerunt, cum ab aliis jam ſcriptoribus mandata ſint litteris, non erit cur ipſe denuo memorem. Factum ſolum referam, quod etſi aliquibus fortaſſe parvum, atque ridiculum videri poſſit, dicam tamen ego vel ideo ut rideatur. Cardinalis *Caraffa* exemplaria quatuor hujuſce *Declarationis* habere cupiens ex famulis unum ad janitorem Profeſſorum Domus Societatis miſit, ut ſuis verbis quatuor emeret exempla Concinianæ *Declarationis*. Quod cum a janitore famulus petiiſſet, tum ille audaciſſime reſpondit, quemadmodum hujuſce generis hominibus mos eſt: *Che comprare! Qui non ſi vende, ma ſi dona. Biſogna che Fra* Concina *ſparga per Roma queſta falſità. Ma il faremo ritrattare anche di queſta bugia*. Quæ quidem iiſdem verbis Cardinali retulit famulus, adſtante etiam P. *Orlandio*, Cœleſtinorum Ordinis Proc. Generali. Confeſſarii quoque Monialium in Ginecæis, Ludimagiſtri in ſcholis magno clamore Concinæ *Retractationem*, ut nomen ab ipſis *Declarationi* inditum uſurpem, denuntiarunt: quarum quidem rerum niſi tota Italia eſſet teſtis, viventibus hæc quidem falſa, poſteris autem incredibilia viderentur. Pueri hinc, ut procaci plerumque ingenio ſunt, ubi in Dominicanos incurriſſent, inſolentiſſime interpellare ſolebant, & tandem eos *Palinodiam* canere debuiſſe vociferabantur. His non ſimilia ſolum, ſed indigniora etiam vulgarunt in aliis ab Italia diſſitis regionibus, in quibus propter diſtantiam locorum adeo ſeriem rerum confuderant, & mendaciis ornaverant, ut quid pro certo eſſet ponendum, difficillime conſtitui poſſet. Hinc frequentes ad Concinam inſignium virorum epiſtolæ, facti quærentium veritatem. Horum vocibus fidem conciliabant aliquam ex Ordine Minorum non pauci, quos ſuam in ſententiam pertraxerant iis de cauſſis, quas facile cognoſcere quilibet poteſt. Atque his quidem in hanc formam ſcribebant: *Fratrem* Concinam *Theologiam ſuam tandem coram Pontifice abjuraſſe*. Pervaſit commentum hoc puditiſſimum ipſam quoque Braſilicam oram (1). In hac enim excitata controverſia de *Cenſu Perſonali* & *Trino Contractu* inter P. *Benedictum a Rhodigio* ex Ord. Cappuccinorum & nonnullos alios diverſorum Ordinum alumnos, quum ille Concinæ teſtimonium laudaſſet, iſti hiſce vocibus reſponderunt: *o P. Benedetto! non vi cagiona orrore allegar un tal uomo contro il cenſo perſonale, uomo di tanto perverſo ingegno, e di tanto ſoſpetto, che il Pontefice a fargli molto favore gli comandò, che ſi diſdiceſſe di molte coſe, che avea ſcritto, e non ritrovò altro rimedio che farlo per evitar d' eſſere abbrucciato, o carcerato in perpetuo, come conſta dalla ſua ritrattazione:* Declaratio & proteſtatio ſincera Fr. Danielis *Concinæ* contra Tomos ſuæ *Theologiæ Chriſtianæ Dogmatico-moralis* recens typis editos. *Ma via ſiavi ammeſſo, ma che vale poi Fr. Daniel* Concina *rivoltuoſo, e di mala coſcienza* (2)? Hæc alieque id genus infinita PP. Societatis in vulgus ediderunt, unde Concinam cauſſa cecidiſſe perſuaderent imperitis. Jam vero permirum eſt eos, qui omnibus hominibus prudentiores a quibuſdam judicantur, tam leviter ſe egiſſe, tamque jactaſſe editam a Concina *Declarationem*. Horum plauſus inaniſſimos ſecutus P. Franciſcus Antonius *Zaccharias* hanc eandem ovans in *Litteraria Hiſtoria* recudit (3), atque demonſtrare aggreſſus eſt, Palinodiæ nomen ipſi optime convenire, ad eamque eſſe formam compoſitam, qua equites nobileſque viri veniam de inlatis injuriis petere in more poſitum habent (4). Quo figmento ſane ridiculo & ſe virum minime nobilem demonſtravit, & ſenſum verbis affinxit adeo abſurdum, & ab Eccleſiaſtica praxi abhorrentem, ut Litterariæ Hiſtoriæ auctorem talia ſcripſiſſe pudere omnino debuiſſet. Sane deſiderari in Conciniana *Declaratione* omnes veræ Palinodiæ notas, ac formulas quivis vel leviter eruditus cognoſcere poteſt; quod cum a *Patuzzio* (1), aliiſque (2) meridiana luce clarius demonſtratum ſit, neceſſe non eſt, ut ego hac de re alia verba faciam. Pernegare autem PP. Societatis nullum pro ſua cauſſa fore *Declarationis* pondus non agnoviſſe res eſſet ineptiſſima. Fuerunt enim in celeberrima hac Familia, & modo etiam multi in ea florent moribus doctrinaque præſtantiſſimi Viri, qui non eodem, quo plerique, vortice præcipiti abrepti quodnam ſociorum ſuorum cauſſæ adverſus Concinam meritum eſſet, optime cognoverunt (3). Illud quoque notiſſimum eſt Societati addictos, quum Jeſuitas tantopere lætos, atque hilares ob illam *Declarationem* viderent, eorum cerebrum evolaſſe palam dixiſſe. Ipſi PP. Societatis quum *Declarationem* in linguam italicam verſam vulgaſſent, unde meliorem fortunam experirentur, eandem poſtea ſuppreſſerunt, cum deteriorem nanciſci viderent, atque a caſtris ſuis plurimos diſcedere non ſine indignatione conſpicerent. Per eos dies, quibus adeo ſibi iidem plaudebant, *Hymni duo* in lucem manu exarati prodierunt, quos ob poeſeos elegantiam, rerumque veritatem heic edere viſum eſt (4). Horum auctor habetur P. *Domaneſchius* Cremonenſis Ord. Præd. acris inge-

(1) *Epiſt. XLV. pag.* 75.
(2) *Epiſt. XLV. pag.* 73. *& ſeqq.*
(3) *Tom. IV. Hiſtor. Litt.*
(4) *Vol. IV. Pag.* 1. *lib. I. cap. III. n. VI. pag.* 44.



(1) Oſſervazioni ſopra la Storia Letterar. ec. *Lett. IV. §. II.*
(2) Lettere di Ragguaglio &c. *Lett. IV. pag.* 82. §. *VI. & ſeqq.*
(3) *Epiſt. XIX. pag.* 30. *& XXIII. pag.* 35.
(4)

*Ignatianorum Hymnus*

*Pro victoria adverſus P.* Concinam *reportata.*

O vos qui quidquam ſapitis,
Omnes nobiſcum canite,
Quam tulimus victoriam
Contra Danielem *Concinam*.
Hic tandem quidquid ſcripſerat
Adverſus nos innoxios,
Ignatianos filios,
Retractat, delet, improbat.
Retractationem legite,
Quæ omnium manu teritur,
Quæque Danielis proprio
Vulgata fuit calamo.
Si quis, inquit, oſtenderit
In refellendis hoſtibus
Me falſi quidquam dicere
Libenter illud revoco.
Si quæ laxior opinio
Aliquibus Theologis
Adſcribitur immerito,
Illud delendum cenſeo.
Si quis irreverentiæ
Supremos in Pontifices
Reum me demonſtraverit,
Me terra, & cœlum puniant.
Si quis cum de Monialibus
Identidem diſſerui,
Erraſſe me probaverit,
Hunc quoque errorem reprobo.
Si viris ex Hæreticis
Sententias exſcripſero
Adverſus Jeſu Socios,
Paratus ſum expungere.
Si quam quoque ſententiam
In damnabilium numero
Injuſte collocavero,
Hinc ſtatim removebitur.
Si quid tandem peccaverim,
Si quidquam contumeliæ,
Si fraudis vel injuriæ
Alterius quidquam excidit,
Quod niſi præter animum
Excidere non potuit,
Retracto cuncta ingenue,
Nego, deteſtor, improbo.
Hæc eſt Danielis *Concinæ*
Expreſſa Retractatio:
Qua ſane pro Adverſariis
Nil ſcribi poteſt melius.
O vos ergo, qui ſapitis,
Omnes nobiſcum canite,
Quam tulimus victoriam
Adverſus Fratrem *Concinam*.

*Ignatianorum Hymni*

*FINIS.*

*Recta Sapientum Reſponſio.*

Si quidquam ergo ſapimus,
Victoriam, quam canitis,
Adverſus Patrem *Concinam*
Nos canere non poſſumus.
Declarationem legimus,
Qua quidem nihil ſanctius;
Sed quæ non habet proprias
Retractationis formulas.

ingenii & ſingularis eruditionis vir, cujus plurimas alias hujuſcemodi ſcriptiones, Muſis faventibus elaboratas, Eruditi laudarunt; ſpreverunt vero nonnulli, atque cæteros inter P. *Zaccharias* qui cuncta vituperat, quæ ſui palato non ſapiunt. Illud vero ex tot eorum ſupplicationibus, atque clamoribus incredibilibus effectum eſt, ut Concinianæ Theologiæ dignitas, atque præſtantia admodum ſit aucta, ejuſque famâ in ultimas uſque terras conceſſerit. Ita enim tota litteraria Reſpublica cognovit apertiſſime, quam injuſtæ fuiſſent delatorum criminationes, quamque intolerabiles eorumdem queſtus ac gemitus. Hinc docti homines ſummopere Concinam demirati ſunt, quod in Opere XII. magnæ molis voluminum (ubi fas eſt obrepere ſomnum) ea tantum errata admiſiſſet, in quæ labitur vel facillime cujuſque libelli ſcriptor. Gravior autem PP. Societatis in Concinam injuria videbitur, ſi obſervare non pigeat, aliquot errata, quæcumque demum ſint, quæ in *Theologia Chriſtiana* notantur, a Concina jam antea fuiſſe detecta, ipſumque propterea de iiſdem emendandis in poſtremo volumine, ut ſcriptores ſolent, cogitaſſe. Sed PP. Societatis nulla in Concinam patientia uti voluerunt. Sane erat ita comparatus, ut ſive ipſe admiſſa errata, ſive indicata ab aliis cognoviſſet, ea protinus rejiceret, ſeque in errorem eſſe lapſum ſtatim fateretur, rogaretque amicos, & inimicos, ut ſi quid abs ſe peccatum animadvertiſſent, aperire non dedignarentur, quemadmodum libros ejus perlegenti manifeſtum eſt. Quare quum edita *Theologia Chriſtiana*, FF. Minores. quos ab acuminato capitis integumento Cappuccinos vocant, quandam ſcriptionem per Hiſpaniam, aliaſque regiones ſparſiſſent, in qua P. Martino *Torrecillæ*, e ſuo cœtu Theologo laxas nonnullas adjudicatas opiniones



Si quis, inquit, oſtenderit
In refellendis hoſtibus
Me falſi quidquam dicere,
Libenter illud revoco.
Ergo ne quidquam revocat?
Vos vos primum oſtendite
Erraſſe P. *Concinam*,
Retractabitque protinus.
Quod ſi legantur ſingula
Declarationis capita,
Eadem prorſus utitur
Conditionata methodo.
Quæ nil negat, nil aſſerit,
Niſi probata fuerint,
Quæ adnexa eſt conditio,
Ut docent Dialectici.
Nunc rogo vos Theologi
His, qui fatentur crimina,
Conditione adhibita,
Debetur ne abſolutio?
Hæc verba *erravi*, *fateor*,
Quæ quidquam retractantibus
Veſter præſcribit *Lecchius*,
Sunt ne in *Danielis* folio?
In eo ſunt, quæ *Faurius*
*Danieli* noſtro affinxerat,
Sed jam ut ſcitis publico
Damnata ſunt judicio?
Angelicum conſulite,
Ejuſque ſane ingenuam
Proteſtationem legite,
Hiſce conceptam terminis:
„ Si male quidquam dixerim
„ Vel minus bene, veniam, (*Op.* 15.)
„ Et correctionem poſtulo;
„ Retractat ne, quæ ſcripſerat?
Sed quid plura commemorem?
Ipſa ſuprema veritas
Qua certe nihil æquius,
Negat, quæ ſemel dixerat?
Non puto, & tamen impii
Phariſæorum Principis
Percutienti famulo
Reſponſum affert ſimile:
„ Si mala faſſus fuero,
„ De malo teſtimonium
„ Tu palam, inquit, perhibe;
„ Si bene, cur me percutis?
His certe valde ſimilis,
Si juſto res criterio
Spectetur, judicabitur
*Danielis* Proteſtatio.
Nos ergo, ſi quid ſapimus,
Victoriam quam canitis
Adverſus Patrem *Concinam*,
Nos canere non poſſumus.
Meliore canet cantico
Hanc *Daniel* victoriam,
Quod nullam ſui ſyllabam
Proſcripſerit Eccleſia.
Vos vero flete *Bentium*,
Veſtrum flete *Coloniam*,
Alioſque, quorum integra
Proſcripta ſunt volumina.

*F I N I S.*



conquerebantur, Concina ſtatim ac hujus certior eſt factus, *Monitum* (1) edidit, in quo ingenue faſſus eſt, ſe utpote ignarum Hiſpani idiomatis propoſitiones P. *Torrecillæ* adſcriptas, ex libello ſupplici excerpſiſſe, quem curante Card. *Belluga*, *Clementi* primum XI., exin *Innocentio XIII.*, ac poſtremo *Benedicto* XIV. Hiſpaniarum plures Epiſcopi exhibuerant. Quis porro crediſiſſet hoſce Præſules incuria laboraſſe, minuſque ſincere in percenſendis P. *Torrecillæ* opinionibus ſe geſſiſſe? Quum vero fama longe lateque vulgaſſet, de innumeris peccatis coram Pontifice fuiſſe Concinam expoſtulatum, quorum vel nulla probare potuerant accuſatores, PP. Societatis, ne ſe injuſte Concinam reprehendiſſe viderentur, *Chriſtianæ Theologiæ* impugnationem aggreſſi clarius illuſtriuſque cauſſæ infirmitatem ſuæ, atque accuſationum ſuarum injuſtitiam patefecerunt. Mirum autem omnibus viſum eſt, religioſos nempe viros, ipſumque Præſidem Societatis Danieli Concinæ tanta confidentia dicam ſcripſiſſe, eumque ceu tantorum peccatorum reum, quæ probare nunquam potuiſſent, ad Pontificem ſapientiſſimum detuliſſe. Ineptum porro, ac ridiculum plane illorum effugium eſt, qui in libello ſupplici aliquot ſolum errata, non vero omnia contenta fuiſſe ſcripſerunt. Cum enim cuilibet oculos habenti compertiſſimum ſit, vel levis admodum eſſe ponderis errata, quæ pro Concinæ damnatione obtruſerunt, quis erit tam ſtupidus, qui vel majora in *Theologia Chriſtiana* peccata reperiri putet, vel horum aliquot a PP. Societatis prætermiſſa imprudenter fuiſſe? Hoc ſane quum multis perſuadere ex ſcripto pertentaſſent, ea plane nullius momenti fuiſſe evidentiſſime oſtendit tum Concina ipſe, tum præcipue *Dinellius* in elegantiſſimis, doctiſſimiſque epiſtolis adverſus P. *Nocetum*, qui ad conficiendam Concinæ aberrationum epitomen delectus, uti ſupra diximus, amariſſime tulit ſcriptionem ſuam non tantum roboris habuiſſe ad implenda vota totius ſuæ Societatis, nempe ad obtinendam Conciniani Operis damnationem. Æquum enim erat, & ſuorum cauſſæ magis proficuum, ſi altum impoſterum tenuiſſent ſilentium, ea etiam de cauſſa, quod Pontifex æquiſſimus, a ſe dictata *Declaratione*, finem concertationi impoſuiſſet. Enim vero qua fortuna cum P. *Nocetus*, tum ejus Socii cenſoriam virgam in *Chriſtianam Theologiam* extenderint, aperiemus, poſtquam ea percenſita a nobis fuerint, quæ P. Nicolao *Ghetio* contigerunt.

## CAPUT XXXI.

*Hiſtoria vulgatæ* Declarationis *a P. Nicolao* Ghetio *S.J. ob librum præpoſtere editum:* De Principiis Moralis Philoſophiæ &c.

QUum hactenus mirati ſimus plauſus PP. Societatis, horumque clamores ob editam a Concina *Declarationem* exaudiverimus patientiſſime, abs re non fuerit pauca dicere de P. Nicolai *Ghetii* S. J. *Declaratione*, cui ſi quis veræ abſolutæque Palinodiæ, ſive, ſi mavis, *Declarationis* nomen indiderit, rectius incorruptiuſque judicaverit. Non equidem id mihi propoſitum eſt, quid *Ghetii Declaratio* contineat fuſe proſequi, ſed Hiſtoriam tantummodo perſtringere, atque aliqua ejuſdem capita, unde illius naturam agnoſcas, indicare. Itaque P. Nicolaus *Ghetius*, poſtquam libro, quod: *De' Principj della Morale Filoſofia, riſcontrati co' Principj della Cattolica Religione* inſcribitur, extremam manum impoſuiſſet, optimeque noſſet doctrinam ab ſe traditam a multis haud probatam iri; ut Fidei Quæſitoris Mediolani, ubi vulgandus erat, cenſuram declinaret, aliam a conſueta inire viam ſtatuit, atque ad Clariſſimum Virum Marchionem Joannem Lucam *Pallavicinum*, Jeſuiticæ Familiæ devotiſſimum, qui ea tempeſtate Mediolanum, *Mariæ Thereſiæ*, Auſtriacorum Reginæ nomine, gubernabat, ſupplex acceſſit, oravitque per ſe, ac per patronos, ut ſibi, prætermiſſa Fidei Quæſitoris facultate, ſuum libellum in Ducali Typographia liceret evulgare. Annuit Gubernator PP. Societatis favere ſolitus, ea tamen conditione adjecta, ut prius Opus a *Ghetio* elaboratum Eccleſiaſtici alicujus cenſoris ſuffragio probaretur. Quo facile reperto, Opus prælo ſubjectum eſt. Re ad Fidei Quæſitoris aures perlata, ne officio deeſſet ſuo, præpoſteram libri editionem impediendam eſſe neceſſarium judicavit. Negotium tamen erat periculi aleæque plenum: nam res agebatur cum Regio Typographo. Antequaam vero aggrederetur quidquam, ſupremos in Urbe Judices conſuluit, quorum tamen reſponſa plures recipiebant difficultates, atque nihilo faciliorem reddebant rem. Varias poſt con-



(1) *Extat Tom I.* Apparatus ad Theol. Chriſt. *pag.* 1.